

**SANCTI BERNARDI  
OPERA OMNIA**



**VITÆ S. BERNARDI.**

# SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

## OPERA OMNIA

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, REPURGATA, ET IN  
MELIOREM DIGESTA ORDINEM, NECNON NOVIS  
PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET  
OBSERVATIONIBUS, INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS  
LOCUPLETATA ET ILLUSTRATA,

CURIS D. JOANNIS MABILLON,  
PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E  
CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio quarta, emendata et aucta.

VOLUMEN SECUNDUM  
Pars altera, tomus sextus,

col. 2399-2528

**VITÆ S. BERNARDI.**

PARISIIS,  
APUD GAUME FRATRES, BIBLIOPOLAS,  
VIA DICTA POT-DE-FER, N° 5.  
MDCCCXXXIX.

## *ADMONITIO IN RELIQUOS SCRIPTORES VITÆ S. BERNARDI.*

I. Superioribus libris visum est mantissæ loco adijcere auctores subsequentes, qui de gestis sancti Bernardi scripserunt. Primus est Alanus, ex abbate Aripatorii episcopus Autissiodorensis ab anno 1153 ad 1161 : quo anno ad Claram-Vallem denuo se recepit, ibidem mortuus anno 1181. Is ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum a Bernardo gestarum seriem contexit, adhibitis propriis auctorum verbis, quos ad temporum ordinem utcunque reduxit. Nam ubi Gaufridus in lib. III, cap. 4, infelicem expeditionis Jerosolymitanæ exitum præponit synodo Senonensi contra Abælardum habitæ, quæ decem annis præcessit : Alanus contra expeditioni synodum præponit. Item idem Gaufridus in ejusdem libri I, cap. 6, Gilberti Porretani confutationem in concilio Remensi factam refert ante Bernardi prædicationem contra Henricum hæreticum ; et post ea omnia Bernardi ex Urbe reditum lib. IV, cap. 1. Hæc autem omnia recto ordine describuntur ab Alano, qui etiam sancti Doctoris testamentum, ab aliis scriptoribus omissum, primus commemorat. Sane Gaufridus ipse in Præfatione libri tertii fatetur, in sua narratione « cohærentiam magis similitudinis rerum gestarum, quam temporis observari. » Quin etiam ex eodem Alano Gaufridi Carnotensis episcopi vulgatum annorum calculum emendare licet. Cum enim is Alberico cardinali Ostiensi episcopo et legato, in Tolosanas partes adversus Henricum hæreticum, « diebus, » inquit Alanus, « Eugenii exortum, » et quidem anno 1147 proficiscenti, una cum Bernardo comes Gaufridus adhæsisse dicatur ; extrema Gaufridi vitæ periodus non quidem ad annum 1138, ut præfert Gallia Christiana, referenda est, sed post annum 1147 differenda, id est, in annum sequentem : tum quia Gaufridus legationis munere, quod Innocentius papa II post annum 1131 ipsi commisit, functus est per quindecim

annos, ex Actis episcoporum Carnutensium editis Analectorum tomo II ; tum quia Goslenus, ejus nepos et in sede Carnutensi successor, in litteris monasterio Josaphatensi anno 1151 concessis, annum sui episcopatus tertium dicit. Quid in reliquis Alanus præstiterit, docet ejus Præfatio ad Pontium Claræ-Vallensem abbatem quintum : qui anno 1158 Gaufrido successit ; post annos quatuor ad sedem Claromontensem promotus. Ac proinde ad annum circiter 1170 revocanda hæc Alani scriptio, de quo vide plura in notis ad epistolam 280.

II. Secundus auctor, qui Alanum proxime subsequitur, ab erudito Petro Francisco Chiffletio Parisiis editus anno 1679 inter quatuor Opuscula, videtur ipsi esse Gaufridus, ille, cujus tres posteriores de S. Bernardi Vita libros cum parte altera Miraculorum superius retulimus. Nec levis de auctore conjectura. Is quippe in cap. 6 testatur, se « in corpore » Bernardi « epistolarum primam eam » constituisse, quæ ad Robertum scripta est, ob miraculum, quod « ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia, » acceperat : quod quidem videtur fuisse notarii officium, quo Gaufridus fungebatur. Idem auctor de se addit cap. 9, conversionem [2401] suam contigisse ex sermone quem in scholis Parisiensibus Vir sanctus habuit. Id si Gaufrido aptari potest, Sermo ille de Conversione ad clericos, qui inter Opuscula tomo secundo habetur, anno 1140 assignandus est : siquidem Gaufridus ipso anno ad conversionem venit, nempe anno tertio decimo ante Bernardi obitum, ut ipse in Præfatione ad librum tertium de Vita ejus testatur. Certe eodem fere modo loquitur Gaufridus tum in Præfatione ad librum tertium, tum in Sermone de S. Bernardo, ubi de sua ipsius conversione, atque auctor in Vitæ sequentis cap. 6. Porro ex hoc auctore tantum Excerpta quædam retulit Chiffletius, quod cætera cum aliis auctoribus convenirent, et quidem de verbo cum ea parte libri sexti miraculorum, quæ ipsum Gaufridum habet auctorem. Hæc porro censet vir doctus quædam

collectanea fuisse de vita et rebus gestis Bernardi, ac veluti materiem scribendæ ejus historiæ præparatam : cujus historiæ primum et secundum librum cum elaborassent duo viri eruditi et graves, Guillelmus et Ernaldus ; noluerit Gaufridus pios eorum labores opere suo obscurare : sed intactis quæ illi tractaverant, reliquam sancti Bernardi vitam tribus libris prosecutus sit, ad priores duos adnectendis. Hæc sane verisimilia.

III. Excerptis Gaufridi (sic eum postmodum appellabimus) succedent libri duo Joannis Eremitæ de Vita itidem sancti Bernardi, sed imperfecti : quos Chiffletius mox laudatus vulgavit eo in Opusculo, quod Diatribæ de illustri S. Bernardi genere præmisit. Joannes ex nomine Eremita dictus videtur, non ex vitæ professione. Nec fortasse monachus fuit, sed « apud quosdam discipulorum ejus, » scilicet Bernardi, « olim assiduus, adhuc puer, » ut de se ipse testatur in Præfatione secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia episcopum : nam prima ad Petrum Tusculanum episcopum scripta est. Ex hac duplici præfatione tempus, quo Petrus hos libros scribebat, colligi potest. Herbertus quippe libros suos scribebat anno 1178 : quo anno Petrus ab Alexandro III creatus est cardinalis episcopus Tusculanus. Adde quæ habet Joannes de Roberto abbate, Bernardi consanguineo, « qui magis, » inquit lib I, num. 5, « quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo disciplinæ regularis vixit. » Ergo post annum 1180 scribebat Joannes, cum Robertus non ante annum 1113 Bernardo se adjunxerit, ante oblatum in monasterio Cluniacensi. [2403]

*SECUNDA VITA SANCTI BERNARDI  
ABBATIS AUCTORE SEU COMPILATORE  
ALANO QUONDAM EPISCOPO  
AUTISSIODORENSI.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando Patri PONTIO, Dei providentia  
Claræ-Vallis abbati, frater ALANUS  
Autissiodorensis ecclesiæ humilis quondam  
sacerdos, æternam in Christo salutem.

Vitæ beatæ recordationis Bernardi Claræ-  
Vallis abbatis, virtutibus et miraculis tam  
admirandæ quam imitandæ, plures in describendo  
exstiterunt auctores, sumpta nimirum materia,  
quæ se copiosa inquirentibus offerebat. Quod  
autem nos ex eadem narratione nonnulla  
omittentes, et apponentes perpauca, breviori  
perstringimus schedula; non tam præsumptio,  
quam, ut credimus, ratio persuasit Primo quod  
scriptorum, tametsi vera sint, prolixitas onerosa  
solet esse legentibus. Deinde quod Godefridus,  
venerabilis Lingonicæ sedis antistes, ejusdem  
patris Bernardi secundum carnem propinquus,  
secundum spiritum in conversione socius et in  
laboribus coadjutor, quædam in pagina, quam  
breviandam suscepimus, minus veritati consona  
denotabat, utpote qui ab infantia cum Sancto illo  
nutritus, visa melius, quam alius narrata didicerat.  
Morte vero idem venerabilis sacerdos præventus,  
quod inde cœperat et optaverat, imperfectum

reliquit. Sed et in serie ipsa descriptionis multiplex sensuum recapitulatio est, dum plures eadem sæpe dixerunt, etsi aliquando dissimilibus verbis. Necnon etiam, si quis diligenter advertat, ibidem quædam aspera inserta reperiuntur, verbi gratia contra ecclesiasticæ et sæcularis potestatis authenticas sublimesque [2404] personas. Absit autem ut quidquam asperum vel amarum *Oliva illa*, suavitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat ! cujus studii semper fuit, dum vixit in sæculo, omnes homines mansuetudinis suæ oleo demulcere. Sane narrationis nostræ veritas non incertam apud nos obtinet firmitatem, cum etiam plura ex his quæ vel ex ejus ore sacratissimo, vel fideli religiosorum relatu comperta cognovimus, sicut et miraculorum multitudinem scienter prætereuntes, studio brevitatis duximus sequestranda. Si igitur puritatis vestræ examini nostra placuerit abbreviatio, subtractis vel apposis aut emendatis quæ vestræ visa fuerint Sanctitati, cum Dei beneplacito, vestroque favore, ni fallimur, sine offendiculo poterit transcribenda exponi. Sin autem ; nostræ humilitatis est, idem opusculum penes nos potius occultare quam prodere, ne minime profutura timere velle pandere videamur.

CAPUT PRIMUM. DE PARENTIBUS, PUERITIA  
ET MORIBUS SANCTI BERNARDI.

1. Bernardus Burgundiæ partibus, Fontanis oppido patris sui oriundus fuit, parentibus claris secundum sæculi dignitatem, sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tescelinus, vir antiquæ et legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque, secundum instituta Præcursoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat [2405] calumniam, contentus stipendiis suis (Luc, III, 14), quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater ejus Alaidis ex castro cui nomen Mons-Barrus, et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro (Ephes. V, 22), sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit, non tam viro suo quam Deo ; sex mares, feminam unam ; mares omnes monachos futuros, feminam sanctimoniam. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent aliquandiu sub manu ejus, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus



assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos præparans et instituens Domino aspirante, quasi continuo ad Dei servitium transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, et latrantem, in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consulisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (Psal. LXXVI, 24), trepidanti et anxietatis respondit: «Ne timeas; optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum.» Quo responso mulier pia et fidelis quasi a Deo suscepto, læta efficitur, et jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans eum sacris Litteris erudiendum tradere, secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur.

3. Quod et factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat: sed, sicut legitur [2406] de sancta Anna matre Samuelis, que petitem a Domino et acceptum filium in tabernaculo ejus

destinavit perpetuo servitutum (I Reg. I), sic et ipsa eum in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus. Unde et quam citius potuit, in ecclesia Castellionis, quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in Ordinem regularium canonicorum promotam cognoscitur, magistris litterarum tradens erudiendum, egit quidquid potuit ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus, et ingenio naturali pollens, cito in hoc matris desiderium implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem et præcoætaneis suis proficiebat; sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippe simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens et subditus, omnibus benignus et gratus, domi simplex et quietus, foris rarus, et, ultra quam credi possit, verecundus, nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram ei pueritiam suam conservaret; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret et cognosceret.

## CAPUT II. DE EJUS PIETATE, MISERICORDIA, AC STUDIO CASTITATIS.

4. Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectulum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam cum ille appropinquantem

sentiret cum quibusdam carminalibus instrumentis, cum indignatione magna exclamans, a se repulit et abjecit.

5. Aderat aliquando sollemnis illa nox Nativitatis Dominicæ, et ad solemnes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantis per protelaretur, contigit sedentem expectantemque Bernardum cum cæteris inclinato capite paululum soporari. Adfuit illico puero suo se revelans pueri Jesu sancta nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, et divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim ei velut denuo procedens sponsus e thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris Virginis Verbum infans, speciosus forma præ [2407] filiis hominum, et pueri sancti in se rapiens nimine jam pueriles affectus. Persuasum autem esse animo suo fateri solebat quod eam crediderit tunc horam fuisse Dominicæ nativitatis. Sed et facile erat advertere his qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta eum benedictione ea hora prævenerit Dominus, cum in his quæ ad illud pertinent sacramentum et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videretur. Unde et postmodum in laudem ejusdem Genitricis et Geniti, et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatum, sumpta materia ex eo Evangelii loco ubi legitur : *Missus est Gabriel*

*angelus a Deo in civitatem Galilææ* (Luc. I, 26), et cætera quæ ibi sequuntur. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, pro ætate, imo supra ætatem pietatis opera sectabatur.

6. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines, puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater ejus liberis fideliter educatis, et vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. Obdormivit autem psallentibus clericis, qui convenerant; et ipsa psallens, ut in extremis quoque, cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, et lingua palpitans Dominum confiteri. Demum inter litaniam supplicationes, cum diceretur, « Per passionem et crucem tuam libera eam, Domine, » elevans manum signavit se, et emisit spiritum, ita ut manum non posset deponere quam levarat. Ex hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui, tanquam ingredienti sæculum, plures se viæ sæculi ipsius offerre cœperunt, et in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, et magnæ spes undique arridere. Obsidebant animum juvenis benignum

sodalium dissimiles mores, et amicitiae procellosae similem sibi efficere gestientes. Quae si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui praecipue invidens coluber tortuosus, spargebat [2408] laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur.

7. Circa idem tempus instinctu daemonis, in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace et silentio, partem ei lectuli, quam occupaverat, cessit, et in latus alterum se convertit, ac dormivit. Misera vero illa aliquandiu jacuit, sustinens et exspectans, deinde palpans et stimulans. Novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit, et horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, et in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tanquam honoratori omnium, seorsum ei fecisset lectulum praeparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare coepit: « Latrones, latrones. » Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quaeritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebrae sicut prius, pausant

cæteri, sed non illa misera requiescit. Exsurgit denuo, et Bernardi lectulum petit ; sed denuo ille proclamatur, « Latrones, latrones. » Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem, seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille : « Veraciter, inquit, aderat latro, et mihi castitatem hospita subripere nitebatur. »

### CAPUT III. MUNDI CONTEMPTUM AC FUGAM CONCIPIT, ALIISQUE PERSUADET.

8. Inter hæc tamen cogitans et perpendens, quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit. Videbat enim mundum et principem ejus exterius multa sibi offerentem, multa promittentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, et vanitatem vanitatum, et omnia vanitatem. Veritatem [2409] vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem, et dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. XI, 28, 29). Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cœpit inquirere et investigare, ubi certius et purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cistercii innovatæ monasticæ religionis nova plantatio, messis multa,

sed operariis indigens, cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius et paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitatione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere et abscondi. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, et qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestionem, sicut fateri solebat, propemodum retardati fuerant ejus gressus. Et cum aliquando ad eosdem pergeret fratres, in obsidione castri, quod Granceium dicitur, cum Hugone duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxari. Inventaque in itinere ecclesia quadam, divertit, et ingressus oravit cum multo imbri lacrymarum, expandens manus in cœlum, et effundens cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

9. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis. *Qui audit, dicat, Veni* (Apoc. XXII, 17). Siquidem ab illa hora, sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripiens, postmodum in ulteriora progreditur: sic ignis quem Dominus miserat in cor servi sui, volens ut

arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo, ad conversionem minus adhuc habili, seniori patri ad solatium derelicto ; deinde cognatos, et notos, socios et amicos, et de quibuscunque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitatione, in sententiam ivit nepotis, et consensum conversionis ; vir honestus et potens in sæculo, et in sæcularis militiæ gloria nominatus, dominus castri in territorio [2410] Æduensi, quod Tuillium dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens junior cæteris fratribus, et necdum miles, sine difficultate, eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas, Bernardo etiam ipse junior, et novus eo tempore miles, verbum fratris difficiliter admittebat, donec subito exclamavit : « Video matrem meam. » Visibiliter siquidem ei apparuit, serena facie, subridens et congratulans proposito filiorum. Itaque et ipse continuo manus dedit, et de tirone sæculi factus est miles Christi. Guido vero primogenitus fratrum conjugio jam alligatus erat, vir magnus, et præ aliis jam in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens et recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvencula nobili, et parvulas filias nutriente, pene impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiozem, incunctanter ei spondit,



aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum eum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, imo jam ea præventus virtute fidei, in qua postmodum excellenter enituit, virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret, et uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrebat. Nec mora, flagellatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum esset sibi contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, et prior ipsa conversionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata a viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose serviens Deo usque ad mortem.

10. Secundus natu post Guidonem Girardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, et qui ab omnibus diligeretur. Qui cæteris, ut dictum est, primo auditu et prima die acquiescentibus, levitatem reputans, ut mos est sapientiæ sæcularis, obstinato animo salubre consilium et fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, et fraternæ charitatis zelo mirum exasperatus [2411] in modum. « Scio, inquit, scio, sola vexatio dabit intellectum

auditui.» Digitumque lateri ejus apponens, « Veniet, inquit, dies, et cito veniet, cum lancea, Interi huic infixæ, pervium faciet iter ad cor tuum, consilio salutis tuæ, quod modo aspernaris ; et timebis quidem, sed minime morieris.» Sic dictum, et sic factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus et vulneratus, juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco, cui Bernardus digitum applicuerat, trahebatur, et mortem quasi jam præsentem metuens, clamabat : « Monachus sum, monachus sum Cisterciensis.» Nihilominus tamen captus et reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. « Sciebam, inquit, et prædixeram quod durum foret ei contra stimulum calcitrare : nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam.» Et factum est ita : siquidem de vulnere præter spem cito convaluit ; propositum vero seu votum, quod voverat, non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, et hoc solum esset quod ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito adfuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut erui posset, et non profecit. Et cum nec loqui ei permetteretur, accedens ad carcerem clamavit : « Scito, frater Girarde, quia ituri sumus in proximo, et monasterium introituri. Tu vero, quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis et non potes, pro facto reputari.» Cumque

Girardus magis ac magis anxiaretur, paucis diebus interpositis audivit vocem dicentem sibi in somnis : « Hodie liberaberis. » Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat compedes suas tetigit, et ecce ferrum ex parte in manu ejus crepuit ; ut minus jam teneretur, et aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret ? Erat ostium obseratum, et pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, et non tam spe evadendi quam jacendi tædio, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinctus et clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, et ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina [2412] celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus astabant, videntes quod fiebat, et divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius a quo custodiebatur, vidensque ad ecclesiam properantem, « Tarde, inquit, Girarde, venisti. » Expavescente Girardo, « Festina, ait : adhuc superest quod audias. » Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageret intelligebat. Demum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Girardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid

ageretur agnovit, et conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Girardus a captivitate amoris sæculi hujus, et captivitate filiorum sæculi hujus liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, a quanta perfectione et sanctæ conversationis gratia iste Dei famulus Bernardus cœperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea apparebat, quando digitum applicuit, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

11. Cum die quadam Bernardus cum cæteris, secum in eodem spiritu congregatis, quamdam intrasset ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur : *Fidelis Deus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Christi Jesu* (Philipp. I, 6). Quod devotus juvenis haud secus accepit, quam si de cœlo sonuisset. Exsultans itaque spiritualis jam pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, et manum Domini secum operantem intelligens, cœpit ex hoc prædicationi insistere, et quoscunque poterat aggregare. Cœpit novum hominem induere, et cum quibus de litteris sæculi seu de sæculo agere solebat, de seriis et conversione tractare, ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ misérias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis seu in malis perpetuam fore. Quid multa ! Quotquot ad hoc præordinati

erant, operante in eis gratia Dei et verbo virtutis ejus, et oratione et instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant et consentiebant. [2413] Inter quos adjunctus est ei Hugo Matisconensis, qui postea raptus a Pontiniaco cœnobio, quod ipse ibidem abbas ædificavit, Autissiodorensi Ecclesiæ præfuit merito et honore pontificis. Hic audiens de conversione socii et amici charissimi Bernardi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem data est utrique primo facultas mutui colloquii, post dissimiles lacrymas et gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, et res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiae Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutuae colloquutionis. Datis itaque dexteris in sodalium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum et anima una in Christo, quam in sæculo ante fuissent. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo subversum ab aliis eundem Hugonem a proposito resilire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturiant. Observantes autem prædicti sodales et subversores Hugonis, viso Bernardo prædam ambiunt suam, et omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset,

clamabat pro eo ad Dominum. Quo orante cum lacrymis, subita et vehemens inundatio pluviae mox erupit. Considerant autem in campo, quod ær serenus esset, et nil tale sperarent. Dispersi igitur omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens : « Mecum, ait, sustinebis hujus pluviae guttas. » Cumque soli remansissent, Dominus reddidit eis continuo et æris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus et propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

12. Videbat ista peccator, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat ; justus autem confidens in Domino, gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant ; quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimitatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis [2414] legitur : *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino* (Act. IV, 32), *et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis* (Act. V, 12, 13). Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cohabitabant, et colloquebantur, quam ingredi vix audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed et si quis intrabat, videns et audiens quæ ibi

gerebantur, convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus : et adorans Dominum, et confitens quod Deus vere esset in illis, aut ipse unanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus, et in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex, post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut perinde plures congregarentur, dum quorundam negotia per id temporis expediebantur.

13. Cum autem jam suspecta esse inciperet multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspiciebat enim quidam eorum in visu noctis, et videbat quasi omnes consedissee in domo una, et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis : quem cæteris omnibus optime suscipientibus et cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat a cibi illius participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat ; alter quidem sumere videbatur, sed tanquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum abiit, et in sæculum rediit : alter cœpit quidem cum cæteris opus bonum, sed non perfecit.

CAPUT IV BERNARDUS CUM SOCIIS  
CISTERCIUM INGREDITUR, UBI DE EJUS  
MORTIFICATIONE TEMPORE TIROCINII.

14. Jam vero adveniente die reddendi voti et complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernardus pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem [2415] Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum fratrem suum, minimum puerum, cum pueris aliis in platea : « Eia, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. » Ad quod puer non pueriliter motus : « Vobis ergo, inquit, cœlum ; mihi terra ? Non ex æquo divisio hæc facta est. » Quo dicto abeuntibus illis, modico post tempore et ipse fratres secutus, nec a patre, nec a propinquis seu amicis potuit detineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus. Eo tempore novellus et pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens, viro venerabili Stephano cum jam graviter tædio ei esse inciperet paucitas sua, et omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem ; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc a Spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur : *Lætare, sterilis, quæ non pariebas ; erumpe et clama, quæ*



*non parturiebas : quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (Isai. LIV, 1) : de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes.

15. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, a constitutione domus Cisterciensis quindecimo, servus Dei Bernardus annos natus circiter duo et viginti [*al.* tres et viginti], Cistercium ingressus cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submitit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines ejus. Hæc quidem fuere Viri Dei conversionis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis et accipientis est nosse, quantum ab ipso mox conversionis exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ ; quanta repleverit gratia electionis, quomodo ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene [2416] nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum ; Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis præparante, non solum

ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed ad portandum nomen suum coram regibus et gentibus, et usque ad extremum terræ. Ipse vero nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam cordis sui et propositi constantiam hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat : « Bernarde, ad quid venisti ? » Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesus facere et docere* (Act. I, 1) : a prima die in cellam Novitiorum ingressus sui, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat docturus.

16. Ipse cum Novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per corpus fiunt, sed et sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiori sensu illuminati amoris, dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum sibi spirantem suavitatem, sensui illi interiori timens a sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ipsa quodammodo vertebatur in naturam : totusque absorptus in spiritum, sæpe [*al. spe*] tota in Deum directa intentione, seu in meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat ; nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret

adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat ; vel si eum forte aliquando contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertibat. Sine memoria quippe sensus sentientis minus efficax est [2417]

#### CAPUT V. DE BERNARDI DOTIBUS, ET CORPORIS HABITU.

17. Natura quoque non dissentiebat in eo a gratia, ut in eo quoque impletum quodammodo videretur esse quod legitur : *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam ; et cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (Sap. VIII, 19, 20). Ad contemplanda quippe spiritualia quæque seu divina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii ; sortitusque est etiam ipse in hoc animam bonam, sensualitatem non curiose lascivam, nec superbe rebellem, sed congaudentem spiritualibus bonis et studiis, et in eis quæ ad Deum sunt, sponte subditam spiritui et servientem : corpus etiam nullius contaminatum consensu flagitii, ad serviendum spiritui in servitio Dei aptissimum instrumentum. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis : in vultu claritas præfulgebatur, non

terrena utique, sed cœlestis : in oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum et sine carnibus erat. Ipsa etiam subtilissima cutis in genis modice rubens ; illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio, et studium sacræ compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur et candido ; barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen vicinior apparebat. Sed cum caro in eo ex dono prævenientis gratiæ, adjutorio subsequenti naturæ, et usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet ; spiritus supra vires, supra virtutem carnis et sanguinis tanta adversus carnem concupiscebat, ut infirmum animal cadens sub onere, resurgere non valeret. [2418]

#### CAPUT VI. DE FUNDATIONE CLARÆ-VALLIS, ET BERNARDI ORDINATIONE IN ABBATEM.

18. Cum autem placuit ei, qui eum segregavit a sæculo, et vocavit, ut ampliore gratia revelaret in eo gloriam suam, et multos filios Dei qui erant dispersi, per eum congregaret in unum ; misit in cor abbatis Stephani ad ædificandum domum

Claræ-Vallis mittere fratres ejus. Quibus abeuntibus ipsum præfecit abbatem, mirantibus sane illis, tanquam maturis et strenuis viris, et timentibus ei tum pro tenerioris ætate juventutis, tum pro corporis infirmitate, et minori usu exterioris occupationis. Erat autem Clara-Vallis locus in territorio Lingonensi, non longe a fluvio Alba, antiqua spelunca latronum, quæ Absinthialis vallis antiquitus dicebatur. Ibi ergo in loco horroris et vastæ solitudinis consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum, templum Dei et domum orationis. Ubi simpliciter aliquanto tempore Deo servierunt in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis multis. Pulmentaria sæpius ex foliis fagi conficiebantur. Panis instar prophetici illius ex hordeo et milio et vicia erat, ita ut aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio ubertim plorans clam asportaverit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viverent homines, et tales homines. At virum Dei minus ista movebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ a prima die conversionis suæ usque in finem tam singulariter sacrum illius pectus noscitur possedisse, ut erga omnes animas maternum gerere videretur affectum. Erat ergo vehemens in præcordiis ejus sancti desiderii et sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim seipsum dejiciens, fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modo oblitus sui æstuabat

flagrantissimo ardore, ita ut nullam sibi nisi ex multorum salute consolationem posse admittere videretur. Sane fiduciam charitas pariebat, sed eandem castigabat humilitas.

19. Contigit aliquando peractis vigiliis, ut egressus foras, et loca vicina circuiens, oraret ad Dominum, quatenus acceptum haberet [2419] obsequium suum et fratrum suorum. Subito vero stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diversi habitus et diversæ conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, ut vallis ipsa capere non posset. Quæ visio quid portenderit, jam omnibus manifestum est. Hac ergo Vir Domini visione magnifice consolatus, exhortatus est fratres suos, commonens eos de misericordia Dei nunquam desperare.

20. Cum autem quadam die Girardus frater ejus, cellarius domus, apud eum conquereretur ad necessaria fratrum multa deesse; Vir Dei, quantum interim ad præsentis angustias sufficere posset, inquisivit. Ille vero duodecim [*al.* undecim] libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Girardus, mulierem quamdam de Castellione foris esse, et velle ei loqui nuntiavit. Ad quam cum egrederetur, procidens ad pedes ejus eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculose ægrotanti. Quam

breviter allocutus, dimisit a se : « Vade, inquit, sanum invenies virum tuum. » Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic invenit. Abbas vero consolans pusillanimitatem cellarii sui, ad sustinendum Dominum de cætero reddidit fortiorem. Nec tantum semel hoc, sed sæpe, cum hujusmodi instaret necessitas, ei certum est divinum adfuisse auxilium, unde non sperabatur. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis ejus, quasi a deliciis paradisi nuper egressi, rerum exteriorum sollicitudine inquietare pertimescebant, eas ipsi intra semetipsos, ut poterant, digerentes, et eum tantummodo de spiritualibus et interioribus consulentes

#### CAPUT VII. DE BERNARDI PRÆDICATIONE, ET PATRIS AC SORORIS CONVERSIONE.

21. Ipse si quando pro ædificatione sermonem ad eos habebat, hominibus supra hominem loquens, vix intelligebatur. Tamen juxta sententiam sancti Job, nefas putantes [2420] contradicere sermonibus Sancti (Job. VI, 10), non excusabant infirmitatem suam, sed accusabant. Cumque ad nutum arguentis humiliarentur qui arguebantur, cœpit etiam spirituali magistro adversus fratres humiles et subjectos zelus suus esse suspectus. Unde factum est ut fieret magistra magistri pia humilitas discipulorum. Cogitabat enim eos multo meliora et viciniora saluti suo in

silentio meditari, quam ab ipso audirent ; devotius et efficacius salutem suam operari, quam ex ejus exemplo acciperent. Timebat vero ex prædicatione sua eos scandalizari potius, quam aliquid ædificationis concipere. Cumque super hoc turbaretur et constrictaretur, et diversæ cogitationes ascenderent in cor ejus ; post multos cogitationum fluctus et cruciatus cordis, decrevit ab exterioribus omnibus ad interiora se recolligere, et in solitudine cordis et secreto silentii continere, donec misericordiæ suæ super hoc ei suam revelaret Dominus voluntatem. Paucis autem postea evolutis diebus, vidit in visu noctis personam quamdam cum claritate sibi astantem, et magna auctoritate præcipientem, fiducialiter loqui quidquid ei suggereretur in apertione oris sui ; quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus Dei loqueretur in eo. Et extunc manifestius in eo et per eum loquens Spiritus sanctus, et sermonem ei potentiolem et sensum ei in Scripturis abundantiolem suggerens, apud auditores quoque gratiam ei addidit et auctoritatem. Inde erat quod tam confidenter quam utiliter loquebatur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ut, dum prædicaret verbum Dei, quidquid afferebat in medio, sic patens et placens efficiebat, et circa id unde agebatur, efficax ad movendum, ut mirarentur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.



22. Præfatus quoque pater illius, qui domi remanserat, veniens ad filios suos, appositus est ad eos. Qui cum aliquantum tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona. Soror quoque eorum in sæculo nupta et sæculo dedita, cum in divitiis et deliciis sæculi periclitaretur, tandem aliquando inspiravit ei Deus ut fratres suos visitaret. Cumque venisset quasi visura venerabilem Bernardum fratrem suum, et adesset cum comitatu superbo et apparatu; ille detestans et execrans eam tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquiescebat exire ad [2421] videndum eam. Quod audiens, illa confusa et compuncta vehementer, cum nullus ei fratrum suorum occurrere dignaretur, tota in lacrymas resoluta: « Et si peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco colloquium et consilium bonorum requiro. Et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam. Veniat, præcipiat; quidquid præceperit, facere parata sum. » Hanc ergo promissionem audiens, exiit ad eam cum fratribus suis frater ejus. Et quia eam a viro separare non poterat, primo verbo omnem mundi gloriam in cultu vestium et in omnibus sæculi pompis interdixit; et formam vitæ matris suæ, in qua multo tempore vixerat cum viro, ei indixit; et sic eam dimisit. Illa vero obedientissime parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam

dexteræ Excelsi. Stupebant autem omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu et victu, in medio sæculi vitam ducere eremiticam, instare jejuniis, et vigiliis, et continuis orationibus, et ab omni sæculo prorsus se facere alienam. Biennio sic vixit cum viro suo: qui etiam virtute ejus perseverantiæ victus, tandem liberam a se dimittens, facultatem ei concessit serviendi Deo cui se probavit. Illa vero optata libertate potita, monasterium Julleium adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo servientibus reliquum vitæ suæ Deo vovit: ubi tantam ei Dominus gratiam contulit sanctitatis, ut non minus animo, quam carne illorum probaretur virorum Dei esse germana.

CAPUT VIII. ABBAS CONSECRATUR A  
GUILLELMO EPISCOPO CATALAUNENSI, QUI  
VALETUDINIS EJUS CURAM SUSCIPIT

23. Cum autem missus noviter Claram-Vallem Bernardus ordinandus esset, et sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat; quærentibus fratribus, quo eum ducerent ordinandum, obtulit se bona fama venerabilis Catalaunensis episcopi, opinatissimi illius magistri Guillelmi de Campellis, illucque eum transmittendum definiunt Sicque factum est. Abiit autem Catalaunum assumpto secum Elbodone monacho quodam Cisterciensi. Intravit

ergo prædicti episcopi domum juvenis exesi corporis et moribundi, habitu quoque [2422] despicabilis, subsequente monacho seniore, et magnitudine et robore corporis eleganti; aliis ridentibus, aliis rem, sicut erat, interpretando venerantibus. Cum autem quæreretur quis eorum esset abbas; Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnovit servum Dei, et suscepit eum sicut servus Dei. Cum enim primo in privato colloquio, omni melius locutione prudentiam juvenis magis magisque proderet verecundia loquendi; intellexit vir sapiens divinam visitationem in adventu hospitis sui, nec defuit hospitalitatis pia instantia: sumptaque familiaritatis fiducia et libertate loquendi, habito ad alterutrum sancto colloquio, melius eum commendabat conscientia, quam verba. Ex illa ergo die et ex illa hora facti sunt cor unum et anima una in Domino, in tantum ut efficeretur Claræ-Vallensium non sola domus Episcopi, sed per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quin etiam Remensis provincia et Gallia tota per eum in devotionem excitata est, et reverentiam Viri Dei. Ab illo siquidem tanto episcopo cæteri didicerunt suscipere eum et revereri tanquam angelum Dei, ita ut futuri temporis præsensisse in eo gratiam videretur homo tantæ auctoritatis, sic affectus erga ignotum monachum, et monachum tantæ humilitatis.

24. Modico vero post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingravesceret, ut jam non nisi mors, aut omni morte gravior vita speraretur, ab eodem Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitæ ejus, sed et sanitatis spem habere diceret, si concilio ejus acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum, aliquam corpori suo curam pateretur impendi ; ille vero a rigore vel usu consuetudinis suæ minus facile flecti posset ; profectus Episcopus ad capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate et sacerdotali charitate toto corpore in terram prostratus, petiit et obtinuit, ut toto anno uno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tanta posset auctoritate negari ? Reversus itaque Claram-Vallem, extra claustra et terminos monasterii domunculam unam fieri et præcepit, ordinans et mandans in cibo et potu, sive in aliquo hujusmodi, circa eum nullam teneri Ordinis distractionem, nullam de tota cura domus ad eum referri sollicitudinem, sed sibi eum vivere ibi secundum modum ab eo præstitutum. Sic igitur ex præcepto episcopi et [2423] abbatum feriatas ab omni sollicitudine domus, Deo vacabat et sibi, quasi in deliciis paradisi exsultans. Regium autem illud cubiculum considerantibus tantam sui reverentiam incutiebat, ac si altare Dei ingrederentur. Sane cuidam homini rusticano traditus erat ab episcopo

ad obediendum, qui se curaturum eum jactitans pollicebatur. Et licet tam graviter infirmaretur, offerebantur ei cibi quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret, admirantibus et tabescentibus qui videbant. Ipse autem in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æque omnia approbabat. Sensu quippe corrupto, et emortuo pene sapore, vix aliquid discernebat. Solam enim aquam sibi sapere dicebat, eo quod dum sumeret, fauces ei et guttur refrigerabat.

CAPUT IX. DE VISIONE TRANSFERENDÆ  
CLARÆ-VALLIS, AC MIRA EJUS SUB BERNARDO  
DISCIPLINA.

25. Nocte quadam solito attentius orando effuderat super se animam suam, cum tenuiter soporatus, voces audivit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Evigilans autem, et easdem voces plenius audiens, cellam quoque in qua jacebat egressus, persecutus est abeuntes. Haud procul aberat locus, densis adhuc spinarum vepriumque frutetis abundans, sed nunc longe mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant velut alternantes chori, hinc inde dispositi, et Vir sanctus audiebat et delectabatur. Cujus tamen mysterium visionis non prius agnovit, quam translatis post aliquot annos non sine divinis revelationibus ædificiis monasterii, eodem in loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audierat.

26. Erat tunc temporis videre Claræ-Vallis aurea sæcula, cum viri virtutis, olim divites in sæculo et honorati, in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore et ærumnis, in fame et siti, in frigore et nuditate, et angustiis multis ; sanctæ illi valli eam, quam postea habuit, præparantes sufficientiam et pacem. Erat cernere quasi novos cœlos in terra, et antiquorum Ægyptiorum monachorum, patrum nostrorum, antiquas semitas, et in eis recentia sanctorum vestigia. Prima facie ab introeuntibus Claram-Vallem per descensum montis, Deus in [2424] domibus ejus cognoscebatur, cum in simplicitate et humilitate ædificiorum, simplicitatem et humilitatem inhabitantium vallis muta loqueretur. Denique in valle illa hominibus plena, in qua nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus et singulis circa injuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut etiam ipsi, non tantum prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem attineret, ibi loqui vererentur. Loci vero ipsius solitudo inter opaca silvarum, et vicinorum hinc inde montium angustias, in quo servi Dei latebant, speluncam illam sancti patris Benedicti quodammodo representabat, in qua

aliquando a pastoribus inventus est ; ut cujus imitabantur vitam, habitationis etiam ejus ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine solitarii ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus ordinis ratione charitas ordinata singulis solitariam faciebat, quia sicut unus homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est ; sic ibi unitate spiritus, et regularis lege silentii in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat. Domibus vero et habitaculis simplicibus victus inhabitantium persimilis erat. Hæc ergo fuit in tempore illo sub abbate Bernardo et magisterio ejus in clarissima et charissima valle illa spiritualium schola studiorum, hic fervor regularis disciplinæ, omnia Deo faciente et ordinante, et tabernaculum ædificante, secundum exemplar quod ei superius monstratum est.

CAPUT X. DE MIRA BERNARDI  
MORTIFICATIONE IN SOMNO, CIBO, POTU ET  
LABORE, AC DE STUDIO SACRARUM  
SCRIPTURARUM.

27. Et utinam post rudimenta primæ conversationis, circa semetipsum talem se exhibisset qualem erga cæteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum. Sed continuo cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus et sui juris effectus est, velut arcus distentus ad

pristinum rigorem, et sicut torrens detentus et dimissus ad prioris cursus consuetudinem reversus est, quasi repetens a semetipso [2425] pœnas diusculæ illius quietis, et damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillum et languidum conari et aggredi quæcunque vellet, minus considerare quid posset; sollicitum pro omnibus, circa seipsum negligentem; omnibus aliis in omnibus obedientissimum, sed de ipso vix aliquando seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, majora moliebatur, ad non parcendum corpori, et ad studiis spiritualibus robur addendum, corpus suum variis infirmitatibus per se attenuatum, jejuniis insuper et vigiliis sine intermissione atterendo.

28. Quid dicemus de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectio laborum et sensuum, aut mentium recreatio? A principio suæ conversionis vigilabat, quoad vixit, ultra possibilitatem humanam; nullumque tempus magis se perdere conquerebatur, quam quo dormiebat, idoneam satis reputans comparisonem mortis et somni, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. In ipso namque tenuem victum tenuis somnus comitabatur. In neutro indulgebat corpori suo satietatem; nisi quod in utroque sumpsisse aliquid, sat ei erat. Quantum enim ad vigiliis,



modus erat ei vigiliarum, non totam noctem ducere insomnem. Porro ad comedendum vix aliquando voluptate trahebatur, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquam comederet, sola cibi memoria satur erat. Sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatum incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis nil penitus siccum, vix solidum aliquid admittentis; molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæ continuæ, præter alias sæpius incidentes. Natura enim ejus cum teneræ nimis semper et delicatæ complexionis fuisset, jejuniis multis et vigiliis, frigore et labore, durioribus et continuis exercitiis attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os quod ingerebatur rejiciebat. Quod si quiddam naturali decoctione digestum transfundebatur ad inferiora, ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, nonnisi cum gravi tormento egrediebatur. Si quid autem residuum erat, ipsum erat alimentum quaecunque corporis ejus, non tam ad vitam sustentandam, quam ad differendam mortem. Semper [2426] autem post cibum quantum comedisset, quasi pensare solebat: si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendisset, non impune patiebatur. Sed et usus parcimoniæ

sic ei versus fuerat in naturam, ut si aliquando corporalis sibi cujuslibet refectionis plus aliquid solito vellet indulgere, vix posset.

29. Orabat stans die noctuque, donec genua ejus infirmata a jejunio, et pedes ejus a labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore, et quandiu occultum esse potuit, cilicio ad carnem usus-est: ubi vero sciri contigit, continuo illud abjiciens, ad communia se convertit. Summum enim erat ei studium fugere admirationem, et tanquam unum sese agere cæterorum. At persequabatur gloria fugitantem; sicut e regione captantes eam, fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper erat in corde: « Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes. » Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, et devotio non communis.

30. Cibus ejus cum pane lac vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes, quales infantibus fieri solent; aliquando buccella panis in aqua penitus emolliti cum exiguis sorbitiunculis erat. Cætera vel ejus infirmitas non recipiebat, vel parcimoniæ studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro et nimis modico, cum magis aquam et infirmitati suæ et appetitui competere testaretur. Videbant eum, et conversationem ejus medici mirabantur, tantamque vim eum in seipso

causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os ejus indigestæ cruditatis eruptio aliis inciperet esse molestior, maxime autem in choro psallentium, non tamen illico collectas fratrum deseruit ; sed juxta locum stationis suæ, procurato ac defosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquandiu, prout potuit, necessitatem illam transegit. At ubi ne hoc quidem permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, et seorsum secum habitare compulsus est, nisi quantum consolationis gratia, sive disciplinæ claustralis, aut certa necessitate conventui eum fratrum oportebat interesse.

31. Sic autem fuit ab initio spiritu validus, corpore infirmus ; nil tamen indulgentiæ circa [2427] corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere fieri sibi aliquando acquiescens. Cæteros namque sanctos arbitrabatur et perfectos ; se vero sicut novitium et incipientem nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentiis et remissionibus indigere, sed fervore novitio, et Ordinis districtione, et rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum actitarent fratres, quod seu minor usus ei, seu imperitia denegabat ; fodiendo, seu ligna cædendo, et propriis humeris deportando, vel quibuslibet æque laboriosis laboribus illud redimebat. Ubi

vero vires deficiebant, ad viliora quæque opera confugiens, laborem humilitate recompensabat. Et mirum in modum is qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solum occupari patiebatur, sed et plurimum delectabatur. Sed et mortificata, ut dictum est, sensualitate, ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritus simul et totus quodammodo exterius laborabat, et totus interius Deo vacabat: in altero pascens conscientiam; in altero, devotionem.

32. Laboris ergo tempore et intus orabat, seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura interioris suavitatis. Nam quidquid in Scripturis spiritualiter sentiebat, maxime in silvis et in agris meditando et orando se accepisse confitebatur: et in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus et fagos joco illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Feriatus autem a labore vel opere exteriori, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, ea utebatur; sin autem, ubicunque seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat. Canonicas autem Scripturas simpliciter ac seriatim libentius ac sæpius legebat; nec ullis magis quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat, et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis fonte magis, quam in decurrentibus

expositionum rivis sapere testabatur. Sanctos tamen et orthodoxos earum expositores humiliter legens, nequaquam sensibus eorum suos sensus æquabat, sed subjiciebat formandos : et vestigiis eorum fideliter inhærens, [2428] sæpe de fonte, unde illi hauserant. et ipse bibebat.

CAPUT XI. DE MIRABILIBUS A DEO PER IPSUM  
IN INFIRMITATE PATRATIS, OB QUÆ A SUIS  
INCREPATUR.

33. Sic voluit Sapientia Dei per infirma hominis illius, tot tantaque confundere fortia mundi hujus. Quid enim aliquando pro infirmitate qualibet ejus remansit imperfectum, quod per eum secundum datam sibi gratiam fieri oporteret ? Quis nostra ætate, quantumvis robusti corporis et accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste moribundus et languidus, ad honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ utilitatem ? O quantum postea numerum hominum verbo et exemplo traxit de sæculo, non solum ad conversionem, sed ad perfectionem ! Quantas ex eis per totum christianum orbem constituit domos, ceu civitates refugii ! Quicumque enim peccaverunt ad mortem, et æternæ mortis rei judicandi fuerant, reminiscuntur, et convertuntur ad Dominum, et fugiunt ad eas, et salvantur in eis. Sed et quæ bona innumeris hominibus singillatim præstitit, pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret ? Vita vero ejus,

quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentiæ exemplo carere non debuit. In quo Servus Dei etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Sane non confundebatur ex hoc accusare seipsum, utpote qui **1249** verebatur omnia opera sua, arguens se quod servitio Dei et fratrum suorum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddidit ac pene inutile.

34. Infirmus tamen, in opere Dei potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, digniorem quamdam apud homines ei effecit reverentiam, et in reverentia auctoritatem, et in auctoritate obedientiam. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est, ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus (cap. 1, n. 2). Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ Religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo et verbo [2429] intra septa monasterii ad fratrum salutem omni studio vacans. Postmodum cum eum a communi conversatione conventus, infirmitatis necessitas plus solito sequestraret; hæc prima cœpit esse occasio, ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac

liberalius accommodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque longius a monasterio pro causis Ecclesiæ communibus interdum obedientia traheretur ; et quocumque veniret, de Deo silere non posset, et agere quæ Dei sunt non cessaret : sic in brevi apud homines innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcunque oportebat, non dissimularet. Ab eo tempore copiosius addita est ei de die in diem manifestatio spiritus, qui erat in eo ad utilitatem ; sermo scilicet fecundior sapientiæ et scientiæ cum gratia prophetiæ, et operationes virtutum, et diversarum opitulationes sanitatum.

35. Erant autem hujus beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his, quæ audiebant et videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati et novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, et Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant ; ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant verbis durioribus, exagitantes teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signia omnia annihilantes, et hominem mansuetissimum, nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas impropriis et opprobriis affligentes. Narrare solebat venerabilis episcopus Lingonensis

Godefridus, sancti Viri et propinquus sanguine, et in conversione socius, et extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manum ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus adfuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis in territorio Senonum, et juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti patris Bernardi tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum atque incolumem invenerunt. Cæterum sæpe dictus beati Viri frater ne ipso quidem poterat compesci miraculo, quominus [2430] increparet eum, et præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem : tanta siquidem charitate pro eo sollicitus erat.

36. Cum autem aliquantum in Clara-Valle tempus vir Domini Bernardus explesset, contigit virum nobilem, ipsius secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Claræ-Vallensi monasterio, graviter infirmari. Qui subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter et loquelam. Unde et filius ejus Josbertus junior et omnes simul amici eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione et Viatico vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem ; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, et invenit eum jam triduo sic jacentem.



Compassus autem homini, sed et motus lacrymis filii ejus, et simul lugentium cæterorum, confisus de misericordia Dei, sermonem magnificum protulit eis, dicens : « Notum est vobis quod homo iste in pluribus gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, et usurpatæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur ; loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet Sacramenta devotus. » Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exultat ; quidquid præcipit Homo Dei, firmiter ei promittitur et impletur. Verum frater ejus Girardus et Galdricus avunculus, qui erant cum eo, non parum territi et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens : « Facere, inquit, potest facile Deus, quod difficile credere vos potestis. » Itaque post secretam orationem ad oblationem sacrificii immortalis accessit. Quo offerente nuntius supervenit qui indicaret, præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius ut Vir Dei festinaret ad eum. Cui post oblatum Sacrificium venienti cum lacrymis et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit, et duobus aut tribus post hæc diebus vivens et loquens. ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractatione servari. Sed et disposuit domui suæ, et

eleemosynas dedit : et sic demum christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit. Et hoc quidem signum in manu servi sui effecit Christus mundo celebre. [2431]

CAPUT XII. DE GALDRICI CURATIONE, ET MORTE, AC FRATRIS IMPATIENTIS E PURGATORIO LIBERATIONE.

37. Circa idem tempus accidit ut avunculus ejus Galdricus, qui zelo piæ sollicitudinis, ejus mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili supplicatione compellit, ut sui misereatur, et opem sibi ferat quam cæteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, et imponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tamen manum imponit, et febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in cæteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-Valle aliquantos jam peregisset annos, fervens spiritu et totius boni æmulator, ex hac luce migravit. Qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, et toto corpore terribiliter motus infremuit : sed ad pristinam statim serenitatem reversus, vultu deinceps

placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari: siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, et in magna sese gratularetur felicitate locatum; demum interrogatus est, quidnam sibi voluit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem, quod ea hora duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent, unde territus ita contremuit: sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

38. Longum esset cuncta narrare, quæ super his qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate, seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen ex eis fuit, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse Pater commemorare solebat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conversationis, et minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri et habitu miserabili, [2432] significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem ab eo quid sibi esset, quatuor dilaceratis sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus a facie Viri Dei. Qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit:

« Præcipio, inquit, tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur in proximo mihi iterum innotescas. » Et conversus ad orationem pro eo, et oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem subvenire monebat. Nec vero destitit, donec, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione meruit consolari.

### CAPUT XIII. DE BERNARDI MORBO, ET RAPTU ANTE TRIBUNAL DEI, AC MORBI CURATIONE.

39. Infirmabatur aliquando ipse Vir Dei, et velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore confluebat: unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii et amici ejus velut ad exsequias tanti Patris. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit et satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, et Viro Dei pro sua fuit parte dicendum; nihil territus aut turbatus, ait: « Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vindicans non confundor. » In hoc verbo confusus

inimicus, conventus ille solutus, et Homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta. Siquidem velut in littore quodam positus, videbatur sibi navem, quæ se transveheret, exspectare. Cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, et illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, et non revertebatur. Intellexit autem protinus necdum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique [2433] magis molestus, quominus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut cæteris fratribus, juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, et supra vires dolor excresceret, advocans alterum e duobus, jubet citius oratum ire. Excusantem denique et dicentem, « Non sum ego talis orator ; » obedientiæ auctoritate compellit. Itum est, et oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria : primum, in honore beatæ Dei Genitricis ; duo circumposita, in honore beati Laurentii martyris, et beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio et beato Benedicto. Aderant autem in

ea serenitate et suavitate quæ eos decebat, et tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ personas quoque discerneret singulorum : imponentesque ei manus, et loca doloris tactu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatus est enim illico phlegmatis rivus, et dolor omnis abscessit.

CAPUT XIV. DE QUOTIDIANO EJUS EXERCITIO, EXIMIISQUE VIRTUTIBUS, AC DE MODO CONCIONANDI.

40. Minus quidem jam stare poterat, sed erat sedens pene jugiter, et rarissime movebatur ; quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens, aut insistens doctrinæ, et fratrum ædificationi, aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali gratiam obtinuerat singularem : ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret, libere secum habitans et deambulans in latitudine cordis sui, et ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, vel charitatis compellente spiritu, studium hoc lucris uberioribus postponebat, doctus quærere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Desideraverat autem ab initio omni modo subtrahere se negotiis, et nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod et postmodum ex defectu corporis [2434] occasionem se reputans

invenisse opportunam, aliquando statuit et aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas gravis Ecclesiæ Dei et summi Pontificis, atque omnium abbatum sui Ordinis jussio, quibus per omnia tanquam patribus deferebat. Ex quorum etiam mandato, novissimis quidem annis, præter cucullam et tunicam, laneo panno in modum chlamydis decurtatæ, et pileo simili utebatur ; inter tantos languores corporis et labores nullis unquam uti pellibus acquiescens.

41. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam. Nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam affectantis humanam. Incessus ejus et habitus omnis modestus et disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu lætificans et ædificans intuentes. De risu frequenter auditum est ex ore illius, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, non meminisse se a primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret. De otiositate verborum vel nugis cautus erat artificiose observare, quod ad papam Eugenium scribens, de sui cordis plenitudine eructavit. «Nugæ si incidant interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, et supersedeant otiosis :

interveniendum caute et prudenter nugacitati.»<sup>1</sup>  
Tanto studio fugisse nugas, quanto odio persecutus sit detractiones, facile potest adverti.

42. Quam vero invitus, et non ex cordis amaritudine verbum proferret amarum, ex eo maxime animadvertebatur, quod perfacile ejusmodi impetum cohibebat. Siquidem mirabatur quorundam improbitatem et durtiam hominum, quos aliquando forte turbatos excusationem quamlibet rationabilem, satisfactionem quamlibet humilem admittere gravat, quod ipsa suæ turbationis passio sic eos delectet, ut oderint omne remedium, et omnimodis satagant, ne semel orta commotio sedari valeat et sanari. Increpatione rarius utebatur, monitis potius et obsecrationibus agens. Et quidem in libertate spiritus excellenter enituit, cum humilitate et mansuetudine tamen; ut quodam modo [2435] videretur et vereri neminem, et omnem hominem revereri. Quam vero placabilem et persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem; quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret: nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Vocem in invalido corpore validam satis intelligibilemque ei contulerat, qui in opus

---

<sup>1</sup> De Consideratione, lib. 2, cap. 13.



prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occasio, ad quascumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores et studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus : sic cæteris quibusque generibus hominum, velut si omnem vestigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis et sapientiæ affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu ; et ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam expertissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem. Cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat et effusio lacrymarum. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, uberius tamen fructificaret, quam plures alii in sublime porrecti, et lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de sub modio suæ humilitatis, quam multi super candelabrum constituti. Quoties eum necessitas aliqua foras monasterium trahebat, seminabat super omnes aquas, publice et privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen

ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat, ad nutum quoque præsulum cæterorum, ubicunque eorum aliquem contigisset adesse, in omnibus eo magis sacerdotibus deferens, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur. Innata enim erat ei a puero verecundia, quæ et in eo usque ad diem perseveravit extremum. Inde erat, quod licet esset magnus et excelsus in verbo gloriæ, nunquam tamen, sicut sæpe testatus est, in quamlibet humili cœtu sine metu et reverentia [2436] verbum fecit, tacere potius desiderans, nisi aut obedientia, aut conscientia propriæ stimulis urgeretur cum timore Dei et charitate fraterna.

CAPUT XV. DE EJUS FAMA SANCTITATIS,  
CLARÆ-VALLIS INCREMENTIS, ET FRATRUM  
SUORUM CURA ET AMORE.

43. Cumque dilectus Deo et hominibus Bernardus in illa valle sua, et vicinis civitatibus et regionibus, multis et magnis floreret virtutibus et miraculis, cœpit magis ac magis in oculis omnium mirabilis et venerabilis apparere. Postmodum vero feliciter in eo proficiente et usu sanctæ prædicationis, et exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est, ut in brevi, majori miraculo præ omnibus,

quæ in hac vita gessit, miraculis, per unum hominem languidum, cooperante gratia Dei, obscura usque ad illud tempus illa vallis, re et nomine Clara-Vallis efficeretur. Jam vero ad eandem claritatem conflente quotidie diversarum regionum et ordinum multitudine copiosa, de locis augustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis non sine divinis quibusdam revelationibus translata, spatiosiore et planiorem locum inhabitantibus præbent. Jam domus Ordinis illius filiæ, et filiæ filiarum domus ipsius, citra ultraque Alpes et maria, deserta plurima impleverunt, quotidie confluentibus quibus locus erat quærendus. Siquidem petebantur undique fratres, et mittebantur ab eo ; cum beatos se æstimarent reges gentium et præsules Ecclesiarum, civitates et regiones, quæcunque de domo illa et disciplina Viri Dei meruissent contubernium aliquod adipisci. Nam usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, Religio hæc per eum profecta est, ubi per eam bestię silvæ homines fiunt, et cum hominibus assuetæ conversari, discunt a finibus terræ cantare Domino canticum novum. Cooperante siquidem gratia Spiritus sancti, quocunque ibat, plenus redibat, et sua eum plenitudo comitabatur ; et aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum ipsorum, nunquam in diebus ejus sanctæ illius congregationis plenitudo minuebatur. [2437]

44. Nec tamen dimittebat suos, quos a se transmittēbat : sed ubicunq̄ essent, ipse semper paterna sollicitudine erat cum eis. Ad eum enim quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum revertēbantur. Sæpe etiam sine omni relatione carnis et sanguinis ei divinitus innotescebat, quid circa aliquos eorum longe a se distantes ageretur ; si quid eis providendum, si quid in eis emendandum fuisset, tentationes quoque et excessus eorum, infirmitates et obitus, et diversarum tribulationum incursus. Nam et pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indixit : nonnunquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus et licentiam postulantes, nimirum agente hoc et obedientia missorum, et charitate mittentis. Aderat aliquando coram ipso monachus quidam Fusniacensis, continuo ad suos rediturus. Cumque accepto responso super his pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur ; in spiritu et virtute Eliæ revocans eum Propheta Dei, et nomine fratris cujusdam de domo illa præmisso, de occultis quibusdam, audientibus nonnullis, mandavit illi ut ea corrigeret ; sin autem, judicium super se Dei in proximo exspectaret. Stupefactus ille cui loquebatur, quis hoc ei dixerit, inquisivit. « Quisquis, » inquit, « dixerit mihi, tu vade, et dic quæ ego dico tibi ; ne, si dissimulaveris, te quoque involvat par pœna

peccati. » Guido frater hominis Dei, major natu inter fratres suos, cujus gravitatis et veritatis fuerit vir, omnes noverunt qui eum noverunt. Hic aliquando cum de hujusmodi viris religiosis loqueretur, licet suo more et solito studio fraternas virtutes deprimeret, tandem cum eis, inter quos tunc sermocinabatur, nollet esse molestus : « Quæ, inquit, nescio non dico vobis ; sed unum scio et expertus sum, multa ei divinitus in oratione revelari. »

CAPUT XVI. DE REBUS GESTIS IN ACCESSU AD  
SANCTUM HUGONEM ET CARTUSIENSES, AC  
STEPHANI DE VITREIO FICTA CONVERSIONE.

45. Cum jam Dei Famulus annos aliquot in Clara-Valle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, et Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus sanctus episcopus tam grater et tam reverenter suscepit, divinam [2438] intelligens in ejusdem hospitis sui visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem Servus Christi episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, expavit vehementer. Ipse quoque corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum,

ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Cartusiæ quoque a viro reverendissimo Guigone Priore venerabili, et a cæteris fratribus eodem effectum et veneratione susceptus est servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit; stramentum videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente concepit: sed locutus uni e fratribus ejus aliquantulum se moveri confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, eo quod a Clara-Valle pergens usque Cartusiam, nunquam illud attendisset, et usque in horam illam quale esset omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi commodatum, et erat sicut sternere sibi ille solebat. Quod verbum audiens Prior, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus Abbas foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non advertisset. Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus non attendit, aut se videre non

vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos, ubi lacus ille esset, et mirati sunt universi.

46. Cum Abbas sanctus memorati gratia Guilelmi episcopi Catalaunum frequentaret, rediens aliquando traxit secum multitudinem nobilium et litteratorum clericorum et laicorum. Quibus in domo hospitem demorantibus, dum novellas plantationes cœlestibus rigaret eloquiis, supervenit portarius monachus, nuntians Stephanum de Vitreio magistrum eorum adesse ad [2439] renuntiandum sæculo, et cum eis manendum. Quis alius de talis viri adventu non exsultasset? præsertim cum vallis illa hujuscemodi frumento non multum adhuc abundaret. Ipse vero revelante sibi Spiritu sancto insidias spiritualis nequitiae tacitus aliquantulum ingemiscens, erupit in vocem, mirantibus universis: « Malignus, ait, spiritus huc eum adduxit; solus venit, solus revertetur. » Obstupere omnes, qui prius audito ejus adventu non se poterant capere præ lætitia. Verumtamen ne pusillos adhuc filios scandalizaret, suscepit hominem et de perseverantia, aliisque virtutum studiis studiose commonuit: et sciens et prævidens omnia promittentem nihil acturum, cum perseveraturis in cellam Novitiorum probandum intromisit. Vidit postea idem Stephanus (sicut confessus est), cum in cella Novitiorum demoraretur, maurulum quemdam

puerum, ab oratorio se extrahentem. Ubi novem ferme mensibus degens, novissime tamen defecit ; et ut de eo prædictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit.

#### CAPUT XVII. DE MIRA BERNARDI APUD OMNES AUCTORITATE ET FAMA.

47. Ut ergo ad hunc Dei hominem Abbatem sermo recurat, tot et tanta sunt facta per eum miracula, ut si quis omnia velit aut verbo pronuntiare aut scripto, vel incredulitatem incredulis, vel fastidiosis possit generare fastidium. In omnibus autem verbis et operibus suis quam purus ei fuerit oculus intentionis, manifeste denuntiabat corpus lucidæ ejus operationis. Cum enim mundi hujus fugerit semper honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem. Cujus enim aliquando voluntati sic detulit, cujus consilio sic se humiliavit omnis potestas, tam sæcularis quam ecclesiasticæ dignitatis ? Reges superbi, principes et tyranni, milites et raptores sic eum timebant et reverebantur, ut videatur in eis impletum quod in Evangelio legitur : *Ecce, inquit Dominus discipulis suis, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici* (Luc., X, 19). Porro inter spirituales et ubi spiritualia spiritualiter examinabantur, longe ei alia auctoritas erat. Loquente enim eo seu tractante, sensibus ejus humiliter vel intelligentiis submittebant cæteri



[2440] sensus et intelligentias suas. In hujus pectore Viri Dei pari fœdere puritas suavitasque consederant, satis quidem utraque mirabilis, sed mirabilior utriusque complexus. Inde est quod et puritatem in eo suavitas amabilem faciebat, et suavitatem puritas acceptabilem ; ut difficile fuerit æstimare, gratiæ an reverentiæ amplius obtineret. Quis enim tam rigidi conversationis, qui Bernardum Claræ-Vallensem non revereretur abbatem ? quis tam dissolutæ, qui non erga eumdem dulciter afficeretur ? Dulcissimis siquidem affectibus plenum pectus ipse gerebat ; alios tamen arguens libere, quoties opus erat, in spiritu lenitatis. Humanissimus erat in affectione, magis tamen fortis in fide : et ut hinc breve proferatur exemplum, sicut ipse quoque testatur, germani sui Girardi et amici tam necessarii, siccis oculis celebravit exsequias, siccis oculis corpus ejus tradidit sepulturæ, ne affectus fidem vincere videretur. Talem autem illum uberius perinde fructificaturum manus divina formaverat, ut austeritatem suavitas morum tolleret, auctoritatem sanctitas conservaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori ?

48. Difficile omnino videtur ex historiis aliquibus invenire hominem unum conversantem adhuc cum hominibus in universa terra, tam celebre et amabile obtinuisse nomen a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Ut enim illas

memoremus provincias, ex quibus monumenta certiora superesse noscuntur, et in ecclesia Orientali, et apud soles occiduos Hibernorum, et a meridie in remotis finibus Hispaniarum, et ab aquilone in insulis quæ procul sunt Daciæ Sueciæque, celeberrima ejus opinio fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, et reddebat. Undique illi xenia mittebantur, undique ejus benedictio petebatur. Unde non incongruum aliquid episcopus ille usurpasse videtur, qui post sacrum ejus obitum, dum fratres consolaretur, inter cætera quoque veraciter in ipsius prosecutus est laudem, quia in omnem terram exivit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis humilitas cordis. Denique, sicut sæpius fatebatur, inter summos quosque honores et favores populorum vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque reputabat absentem, velut quoddam [2441] somnium suspicatus. Ubi vero simpliciores ei fratres, ut assolet, familiariter loquebantur, amica ejus humilitate fruentes, ibi se invenisse gaudebat, et in propriam rediisse personam. Et cum tanta Virum hunc sanctum apud Deum et homines commendarent sacrarum insignia virtutum, testimonia circumvallarent sanctitatis, charismata sancti Spiritus illustrarent; charitas, quæ totum eum possidebat, patiens et benigna, sapientia vincebat malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate.

CAPUT XVIII. EJUS AUCTORITATE  
INNOCENTIUS PAPA SUSCIPITUR.

49. Laborabat ea tempestate sub schismate Petri Leonis Romana Ecclesia. Eapropter convocato Stampis colloquio (an. 1130), Abbas sanctus specialiter ab ipso Francorum rege, et præcipuis quibusque pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus et tremebundus advenit, periculum quippe et pondus negotiï non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem : unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, et precibus ad Deum fuis, cum de eodem verbo tractaturi Rex et episcopi cum principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententiâ, ut negotium Dei, Dei Famulo imponeretur, et ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille timens licet ac tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens, suscepit ; et diligenter prosecutis electiones ordinem, electorum merita, vitam et famam prioris electi, aperuit os suum, et Spiritus sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit, et ratum esse omnes pariter acclamaverunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps

polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

50. Interea idem dominus Papa multis in Pisis et Tuscia, et in aliis provinciis salubriter et potestative dispositis, valem faciens Pisanis et gratias agens, in Provinciam navigio delapsus est. Et Burgundiam transiens, Aurelianum [2442] Franciæ urbem pervenit, ubi occurrentibus episcopis a rege piissimo Francorum Ludovico alacriter et honorifice susceptus est. Inde Carnotum deducitur : ibi gloriosus rex Anglorum Henricus ei cum maximo episcoporum et procerum comitatu a venerabili Abbate Claræ-Vallensi adductus occurrit ; quem etiam Papam potenti ejusdem Abbatis admonitione persuasus in patrem suum et pastorem suscepit. Reversis interim de Germania domini Papæ legatis, tam episcoporum quam regis Lotharii consensum et litteras deferentibus, postmodum apud Leodium eidem Romanorum regi occurrit. In omnibus his dominus Papa Abbatem sanctum a se separari non patiebatur, qui ubique opera pietatis exercens, oppressis patrocina exhibebat. Itaque papa Innocentius a Rege honorifice susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejusdem prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana

Ecclesia vindicarat. Nec consilium suppetebat, expavescentibus Romanis Regis potentiam, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit. Unde dominus Papa reversus, nec longas in Galliis faciens moras, præfato regi postea Romam occurrit, et ab eo in Lateranense palatium deductus est. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias Imperator digreditur. Intelligens vero Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, rursus Pisas revertitur, ibique aggregatis totius occidentis episcopis, aliisque viris religiosis, magnæ gloriæ synodus celebratur. Adfuit per omnia consiliis et definitionibus Abbas sanctus, eique reverentia ab omnibus impendebatur.

CAPUT XIX. DE MEDIOLANENSIVM  
RECONCILIATIONE, ET MIRACULIS AB IPSO  
PATRATIS.

51. Soluta concilio ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa Virum Dei, quem multis supplicationibus expetierant, a latere suo direxit (an. 1134), qui schisma per Anselmum in eadem [2443] urbe factum ablueret, et ad unitatem Ecclesiæ devios revocaret. Transcensoque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliaribus septem omnis populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites,

mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et distinctis agminibus incredibili devotione et reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes illius pariter delectabantur aspectu, felices se præ aliis judicantes, qui ejus possent frui auditu. Deosculabantur etiam pedes illius, licet hoc ille moleste acciperet : sed nulla poterat pronos et devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Et cum tractatum esset in publico de negotio propter quod Vir Dei advenerat, oblita fortitudinis suæ civitas, omnique ferocitate deposita, obedientiæ se Abbatis substravit.

52. Pacatis igitur omnibus, reconciliata Ecclesia, firmatis inter plebes concordia pactionibus, alia cœperunt ei nasci negotia. Insanienti quippe diabolo, et in quibusdam obsessis debacchanti, oppositum est Christi vexillum ; et increpante Viro Dei, de possessis atriis, superveniente eminentiore virtute, territa et tremeunda diffugere dæmonia. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, et honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii, post beatum Virum a multis tracta est. In cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, et jamjam ita suffocaverat eam, ut visu et auditu et verbo privata, frendens dentibus, et linguam protendens, monstrum, non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fetidus,

inhabitoris satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei et inviscatum diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus igitur ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, et clericis et monachis secum juxta consistentibus, mulierem ibidem jubet constitui et teneri. Illa vero reluctans, et vi diabolica non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuete ille contempsit, ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica et humili supplicatione Deum invocat adiutorem, et [2444] ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit, et recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, et mulieris capiti superponens, talia loquebatur : « Adest, inique spiritus, Judex tuus ; adest summa Potestas ; jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus : *Nunc*, inquit, *princeps mundi ejicietur foras* (Joan XII, 31). Hoc illud corpus quod

de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumultu jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. » Cumque eam invitus deserens, et manere ultra non valens, atrocius affligeret malignus, tam magnam iram quam modicum tempus habens, rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit, et confestim pax et salus integra reddita est mulieri. Fugato diabolo, mulier mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua Deum confessa, gratias egit, et intuita curatorem suum, pedibus ejus advolta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, et servum Dei gratulabunda civitas, liquefacta charitate incredibiliter veneratur.

53. Jam Papiam advenerat, et fama virtutum adventum ejus præcesserat, et cum debito gaudio et apparatu tantæ gloriæ virum civitas lætabunda suscepit. Et ne diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre : advenit repente post eum rusticus quidam, qui de Mediolano secutus eum fuerat, uxorem



dæmoniacam secum adducens, quam ante pedes ejus, lacrymabili voce intrinsecas protestans anxietates, deposuit. Nec mora in [2445] contumelias Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, et irridens servum Dei : « Non, » inquit, « me de canicula mea hic porrulos edens poterit expellere. » Multa in hunc modum in Virum Dei jaculabatur convicia, ut blasphemiiis provocatus, impatienter ferret opprobria, et confunderetur in præsentia populi, cum indignis se audiret sermonibus laccessiri. Sed Vir Dei astum ejus intelligens, irrisorem irrisit, et ultionem non ipse expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri dæmoniacam duci præcepit. Voluit quippe curationis illius gloriam dare Sancto, et primitias operationum virtuti ejus adscribi. At vero sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negotium, nec in ecclesia sua quidpiam sibi deferens, intactum opus reduci voluit ad Abbatem. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os ejus diabolo et dicente : « Non me Syrus ejiciet, non expellet Bernardulus. » Ad hæc servus Dei respondit : « Nec Syrus, nec te Bernardus ejiciet, sed Dominus Jesus Christus. » Et conversus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tum vero spiritus nequam, velut priori improbitate mutata : Quam libens, inquit, egrederer ab hac canicula, graviter molestatus in ea ! quam libens egrederer ! sed non possum. »

Interrogatus causam : « Quia necdum vult magnus Dominus, » ait. Cui sanctus : « Et quis est magnus Dominus ? » Et ille : « Jesus Nazarenus. » Ad quem rursus Vir Dei : « Unde enim Jesum nosti ; aut si unquam vidisti eum ? – Vidi, inquit. » « Ubinam eum vidisti ? – In gloria. – Et tu in gloria fuisti ? – Fui quidem. – Et quomodo inde existi ? – Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. » Hæc autem omnia voce lugubri per os vetulæ audientibus omnibus loquebatur. Respondente autem Abbate sancto : « Nunquid in illam redire gloriam velles, et restitui in gradum pristinum ? » Rursus voce mutata, et miro modo cachinnans : « Hoc, inquit, tardatum est. » Et nihil ultra locutus. Orante autem attentius Viro Dei, nequissimus ille victus abscessit, et mulier sibi reddita quantas potuit gratias egit. Revertitur igitur vir cum muliere, et per totam viam incolumitati ejus congaudens, expectantibus amicis domui suæ redditur. Lætabantur omnes qui ordinem rei gestæ audierant, sed repente gaudium vertitur in mœrorem : quia ubi domus suæ limina mulier attigit, rursus intrat diabolus, et infestior [2446] solito miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quo se verteret, nesciebat. Cohabitare cum dæmonio molestissimum : relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, et assumpta secum muliere rursus Papiam revertitur. Ubi cum Virum Dei non invenisset, usque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat

quid factum sit ; et ut gratiam inveniat lacrymabiliter deprecatur. Nec deest piæ petitioni Abbatis clementia, sed præcipit ut ecclesiam civitatis illius ingrediatur, orans expectet donec ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse uno tantum prosequente ecclesiam ingreditur, et tota nocte illa orationi vacans, obtinuit a Domino quod petebat : et impetrata mulieri sanitate, jubet eam secure reverti ad propria. Sed cum illa reditum ad se diaboli, sicut jam experta fuerat, formidaret, collo ejus alligari chartulam hæc verba continentem præcipit : « In nomine Domini nostri Jesu Christi præcipio tibi, dæmon, ne hanc amodo mulierem præsumas contingere. » Quod mandatum sic expavit diabolus, ut mulieri regressæ ad propria nunquam deinceps appropinquare præsumperit.

CAPUT XX. DE FUGA DIGNITATUM IN  
BERNARDO, AC DISCIPULORUM AD EAS  
PROMOTIONE.

54. Erat quidem caro infirma, sed spiritus promptus, et quo minus in corpore vel corporalibus poterat delectari, amplius delectabatur in Domino ; nec aliqua sæculi hujus ambitione pulsabatur, qui solis cælestibus inhiabat. Quot ecclesiæ destitutæ pastoribus eum sibi in episcopum elegerunt ? Elegit eum domestica mater Lingonensis ecclesia, elegit

Catalaunensis. Intra Italiam civitas Januensis ; et Mediolanum, Ligurum metropolis, hunc pastorem et magistrum optaverunt. Remis nobilissima Franciæ civitas, secundæ Belgicæ provinciæ caput, ejus prælationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animum ejus honor oblatus, nec motus est pes ejus ut se ad sublimia inclinaret. Promotionem tamen, quam in sua persona quoad potuit evitavit, in filiis, quos de diversis regionibus congregatos divino manciparat servitio, Dominus adimplevit. De his enim Roma Eugenium summum meruit habere pontificem : Præneste Stephanum habuit [2447] totius gloriæ virum : Ostia, virum magnum Hugonem. Prope urbem sub Osberto pontifice Nepa reffloruit. In Tuscia Pisis magnum Ecclesiæ lumen Balduinus præsul effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno Guarinus, Lingonis Godefridus, Alanus Autissiodoro, Nannetis Bernardus ; Belvacis, itemque Remis Henricus, Tornaco Gerardus, Eboraco Henricus, Andreas Atrebatii : in Hibernia episcopi duo, re et nomine Christiani : in Alemannia, civitate Curia, Algotus, sapientia, ætate et gratia reverendus. In ipsa quoque Romana curia Henricus et Bernardus, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Hæc luminaria de Clara-Valle et doctrina viri Dei Bernardi abbatis assumpta, fulgore religionis prædictas illustravere civitates.

CAPUT XXI. DE EJUS PROFECTIONE IN  
AQUITANIAM, AC GUILLELMI COMITIS  
CONVERSIONE.

55. Rediens a montanis partibus Pater sanctus jam Alpes transcenderat (an. 1135), et descendebant in occursum ejus de summis rupibus pastores, et agreste hominum genus, et conclamabant a longe benedictionem petentes. Regredientes autem ad caulas cum gaudio, colloquebantur ad invicem : gratias Deo agentes quod Sanctum Domini vidissent, et optatæ benedictionis gratiam accepissent. Inde Chrysopolim transiens, et usque Lingonas solemniter deductus, tandem Claram-Vallem advenit. Adsunt fratres congregati in unum, et mira devotione dilectum Patrem suscipiunt : agitur sine tumultu cum omni gravitate lætitia.

56. Laborabat adhuc eo tempore sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis provincia : et non erat qui posset resistere principi, qui, annuente Girardo Engolismensi episcopo et instillante in cor ejus dissensionis semina, factus erat schismatis defensor et auctor. Hic enim Girardus diu apostolicæ Sedis in Aquitania legatione functus, et nunc a magistratu tanto dejectus, non poterat se pati suæ solius Ecclesiæ episcopum, qui se viderat totius Aquitaniæ principem et magistrum. His igitur duobus ob hanc malitiam in unum convenientibus, quicumque susceptioni Petri

Leonis non subscribebant, [2448] persecutionibus expositi, alii damnis, alii proscriptionibus mulctabantur, alii a sedibus propriis pulsi exsulare compellebantur. Audiens hæc et hujusmodi vir venerabilis Gaufridus Carnotensis episcopus, cui a papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer indoluit, et succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis aliis negotiis, sine ulla dilatione decrevit. Abbatem igitur Claræ-Vallensem petit et obsecrat, ut sibi ad tanta mala eliminanda succurrat. Assensit Vir Dei, et se in proximo congregationem monachorum in Britanniam, in locum quem juxta Nannetum comitissa Ermengardis paraverat, ducturum intimat, et promittit, disposita illa domo, se cum eo in Aquitaniam profecturum.

57. Ibant igitur simul, et pariter Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ a quodam petulante diabolo vexabatur. Habebat autem virum, hujus tamen tam execrabilis commercii prorsus ignarum. Abutebatur igitur ea, etiam in eodem lecto cubante marito, invisibiliter impurissimus ille adulter, et incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno confusa est in se ipsa, et expavit propter timorem Dei, cujus judicio singulis momentis timebat intercipi et damnari. Confugit ad sacerdotes, et piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, et

sanctorum implorat suffragia : sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidie ut prius et importunius a dæmone infestatur. Denique in publicum scelus tantum effusum est. Quo audito et cognito, maritus ejus contubernium exsecratur. Interea ad locum prædictum Vir Dei cum comitatu suo advenerat - cujus ut audivit adventum infelix mulier, se ad pedes ejus tremebunda projecit. Aperit ei lacrymis perfusa passionem horribilem, et ludificationem inveteratam, et quod nihil ei profecissent quæcunque sibi a presbyteris imperata fuerant. Addit sibi ab oppressore suo adventum ejus prædictum, et minaciter interdictum ne ante ejus veniret præsentiam, quia nihil ei prodesset ; et ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis consolatur mulierem, et de cælo promittens auxilium, præcipit ut die altera, jam [2449] enim nox instabat, confidens in Domino revertatur. Reversa mane, cum Viro Dei blasphemias et minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset : « Ne cures, inquit Vir Dei, minas ejus ; sed vade, tolle baculum hunc nostrum, et pone in lectulo tuo, et si quid potest, agat. » Egit mulier quod jussum fuerat, et recubans in lectulo suo signo crucis munita, juxta se baculum ponit. Adest ille continuo : sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumit

accedere ; minatur tamen acerrime, quod discedente Viro Dei, ipse in ejus supplicia reverteretur. Instabat dies dominica, et voluit Vir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam convenisset, inter Missarum solemniam, comitantibus episcopis Gaufrido Carnotense episcopo et Briccio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit ; et ut omnes qui in ecclesia erant, candelas accensas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod et ipse cum episcopis et clericis faciens, inauditos diaboli ausus publice aperit, et fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta, etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematisat, et auctoritate Christi tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Exstinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, exstincta est deinceps tota virtus diaboli ; et mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit.

58. Significatum est interim Comiti per viros illustres et ei familiares, quod Abbas Claræ-Vallensis, et episcopus Carnotensis, aliique episcopi et religiosi viri colloquium ejus expeterent ; quorum erat studium, ut de pace sanctæ Ecclesiæ tractarent, persuasumque est illi ne tantorum devitaret colloquium, quia poterat



fieri ut communicato cum eis consilio, et facile esset quod videbatur difficile, et quod videbatur impossibile, possibile redderetur. Itaque apud Partiniacum hinc inde conveniunt. Cumque ageretur de divisione Ecclesiæ et de scissuræ obstinatione, quæ infra Alpes in sola Aquitania quasi nebulæ corruptela consederat, multis modis et rationibus a servis Dei Comiti est intimatum, quod Ecclesia una est, et [2450] quidquid extra eam est, quasi extra Arcam judicio Dei necesse est interire et dilui. Adducta quoque exempla Dathan et Abiron, quos reatu schismatis terra vivos absorbit (Num. XVI, 31, 32), nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus est consilio, et respondit se in obedientiam Innocentiæ papæ posse dare consensum : sed in restitutione episcoporum, quos de sedibus expulerat, nulla ratione posse induci ; quoniam implacabiliter eum offenderant, et juraverat se eorum pacem nullo tempore suscepturum. Diu per internuntios protractus est sermo : et dum vicissim verbis se mutuo occupant, Vir Dei efficaciora arma corripens, ad altare sanctum oblaturus et supplicaturus accedit. Intraverant ecclesiam quibus licebat divinis interesse misteriis : Comes sustinebat pro foribus. Peractis igitur consecrationibus, et pace data et diffusa in populum, Homo Dei jam non se agens ut hominem, corpus Domini super patenam ponit,

et secum tollit : atque ignea facie et flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur, et verbis terribilibus aggreditur Ducem. « Rogavimus te, inquit, et spreveristi nos : supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu servorum Dei ante te adunata multitudo, et contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput et dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius nomine omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deveniet. Numquid et ipsum spernes ? numquid et ipsum sicut servos ejus contemnes ? » Lacrymabantur universi qui aderant, et orationibus intenti præstolabantur exitum rei, et omnium suspensa expectatio aliquid divinum fieri cœlitus expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, et sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit et dirigit, membrisque tremebundis metu et dissolutis, quasi amens solo provolvitur : elevatus a militibus, rursus in faciem ruit, nulli quidpiam loquens, aut intendens in aliquem. Tum Vir Dei ad eum propius accedit, et pede pulsans acclinem surgere jubet, et stare supra pedes, et Dei audire sententiam. « Præsens est, » inquit, « Pictaviensis episcopus quem ab ecclesia sua expulisti : [2451] vade, reconciliare ei, et in osculo sancto pacis cum eo jungens fœdera, ipse ad sedem suam eum

reducito ; et satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, et in universo principatu tuo divisos et discordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio papæ, et sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo a Deo tanto Pontifici obedire non differas.» Audiens hæc Comes auctoritate Spiritus sancti, et sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere nec poterat: sed statim in pacis osculo recepit episcopum, et eadem qua eum abjuraverat manu, cum totius exultatione civitatis ad propriam sedem reduxit. Sed et deinceps Abbas cum Comite jam familiarius et suavius loquens paterne eum monuit ne ad tam impios et tam temerarios ausus ultra exurgeret, ne Dei patientiam in tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Pace itaque omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, solus Girardus perseverabat in malis ; sed non multo post adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est. Subita enim morte præoccupatus, sine Confessione, sine Viatico reddidit spiritum. Tanto igitur malo obruto et schismate Girardi redacto in nihilum, Vir Dei cum gaudio magno Claram-Vallem revertitur.

CAPUT XXII. DE ITERATA EJUS PROFECTIONE IN ITALIAM, AC ROGERII SICULI OBSTINATIONE, ET PETRI PISANI RECONCILIATIONE.

59. His ita patrat̄is (an. 1136), vix inter fratres suos circiter unum fecerat annum - et ecce litteræ apostolicæ Virum Dei evocant, et ut adsit laboranti Ecclesiæ supplicant cardinales. Nihil obedientiæ præferens Vir Dei, valefaciens fratribus, flentibus universis discessit, et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quam fratres<sup>2</sup> lætati sunt, et communicatis cum eo consiliis secundum rerum proventus et statum causarum Abbas alia via opus aggreditur. Rex enim Siciliae Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire papæ Innocentio detrectabat, mittit ad eum, petens, ut ad se Abbatem [2452] mitteret Claræ-Vallensem: nihilominus idem petens a Petro Leonis, ut Petrum sibi Pisanum a suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis, quæ jamdiu induraverat, velle scire originem; et cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Audierat enim Petrum Pisanum eloquentissimum esse, et in legum et canonum scientia pene nulli secundum. Unde putabat, quod si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis obrui posse, et silentium ei vi verborum et pondere rationum imponi. Venit itaque pars utraque Salernum.

---

<sup>2</sup> Scilicet cardinales. Sic Petrus Venerabilis lib. 2, epist. 48, Albericum cardinalem non semel vocat fratrem suum et monachorum.

60. In illis diebus paraverat ad bellum idem Rogerius rex innumerabilem exercitum adversus Rannulfum ducem. Cum autem primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas sanctus adveniens Regem in castris positum invenisset, utpote qui jam armatas produxerat acies, per multos dies ne committerent, impedivit, denuntians Regi : « Quia si conflictum inieris, victus et confusus abibis. » Novissime vero cum ejusdem regis plurimum crevisset exercitus, ignorans quod non multitudine foret eventus belli, Virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit. At ille ducem Rannulfum et Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est et triumphum. Subito itaque viso Duce audacter obviam procedente Rex territus fugit, effusumque exercitum prædæ et cædibus exposuit, innumeris militibus captis et interfectis, et ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim ipse Abbas ad proximam villulam declinasset, et instaret orationi, repente fugientium et insequentium clamor auditur : siquidem per eundem locum fugientem Regis exercitum Ranulfus dux persequabatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, et quid accidisset, interrogabat. At ille, siquidem litteras noverat : *Vidi, inquit, impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat ; quæsivi eum, et non est*

*inventus locus ejus.* (Psal. XXXVI, 35, 36.) Nec mora, Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit, et ejus [2453] pedibus advolutus, « Gratias, inquit, Deo et fidei servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est ; » iterumque insiliens equo hostes insequabatur.

61. Post finem prælii Vir Dei a villula ad quam declinaverat, venit Salernum ; venit et Petrus Pisanus. Itaque stipata militibus curia Rex utramque partem accersiri, et de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem Petri Leonis domini sui canonicam probare contendit, et verba sua multis legum et canonum assertionibus munire laborat. At vero Vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens : « Scio, inquit, Petre, virum te sapientem et litteratum esse : et utinam sanior pars et honestiora te occupassent negotia ; utinam te patronum causa justior obtineret : sine dubio enim rationabilia te allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem, tanquam indocti et minus eloquentes, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere, nec Judæus, fautore hoc domino, Petrus Leonis lacerat et dirumpit. Una est fides, unus Dominus, unum Baptisma (Ephes., IV, 5). Nos neque duos dominos, nec

geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit : in hac octo animæ cæteris omnibus pereuntibus evaserunt, et quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Ecclesiæ nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est ; et cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram ; et in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est ut arca quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi et Angli, et Barbara regna in profundum pelagi demergentur ! Religio Camaldulensis, et Carthusiensis, et Cluniacensis, et Cisterciensis, et Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum et ancillarum Dei collegia necesse est ut sub uno turbine corruant in abyssum ! Episcopos, et abbates, et reliquos Ecclesiæ principes pelagus vorax excipiet ! Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iste [2454] Rogerius, et cæteris omnibus enecatis solus ipse salvabitur ! Absit ut totius mundi religio pereat ; et ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cælorum obtineat. » Ad hæc verba tenens manum Petri, elevavit eum, et simul ipse surrexit : « Tutiolem, inquit, si mihi credas, intrabimus arcam. » Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit ut ad Urbem rediens

Innocentio papæ reconciliaretur. Soluta concione venerabilis Abbas Romam revertitur, prædictum quoque Petrum Pisanum, et quosdam alios reconciliat Ecclesiæ, et Innocentio papæ confæderat.

CAPUT XXIII. ANACLETO EXSTINCTO ET SCHISMATE, BERNARDUS CANTICORUM EXPLANATIONEM RESUMIT, AC THEOBALDUM COMITEM REGI RECONCILIAT.

62. Aderat tempus quo divina clementia Petri Leonis interitu finem imponere schismati disposuerat (an. 1138). Eo tempore pars ipsius Papam sibi alterum statuerunt pro illo, quatenus videlicet opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum servi sui Abbatis Christus effecit. Nam et ille substitutus ad eundem Virum Dei nocte se contulit, et ille nudatum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio Ecclesia redditur, Romanus populus, ut pastorem et dominum suum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-Vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur

63. Sedatis omnibus et compositis, vix paucis diebus potuit detineri, qui septem annis et ultra pro resarcienda eadem scissione sudaverat. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus,



honorat populus, universa nobilitas comitatur. Neque enim poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Rediēns autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia secum retulit pretiosa, haud modicum hunc inter cætera sui reputans fructum esse laboris. Tanta vero exultatione Ecclesia [2455] illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita nuntiare lætitiā. Sic igitur firmata pace Vir Dei ad suos regreditur, et quocumque rediēns venit, specialiter a filiis cum ingenti gratulatione suscipitur. Meminit idem Pater illius temporis et operis in sermone super Cantica canticorum vigesimo quarto sic scribens : « Hoc demum, fratres, tertio reditum ab Urbe nostrum clementior oculus e cœlo respexit ; et vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, finem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc fere octennium diro schismate conturbarat. Vestris desideriis donatus sum, vestris me profectibus paro : quorum vivo meritis, volo vivere studiis et salutis. » Hoc ipse de se quod vivebat, quod bona agebat, fratrum meritis totum adscribens, ad studia sancta reversus, cœptum amplectitur epithalamium. Quam efficaciter vero quamque evidenter in tempore iræ facta fuerit reconciliatio, Innocentii papæ super hoc scribentis ad eum

verba demonstrant. « Quam firma, ait, perseverantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis suscepit defendendam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum et principum et aliarum tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit, utilitas manifestat.<sup>3</sup> »

64. Post reditum Patris ab Urbe, vix per triennium optata quiete potitus, regno Franciæ vehementer turbato ob simultates, quæ inter regem Ludovicum et comitem Theobaldum emergerunt, rursus ad labores reformandæ pacis expetitur. Is enim comes potens in regno, totus eleemosynis deditus, et studio pietatis intentus, omnium servorum Dei et sanctæ religionis promptus amator, devotissimæ sanctitatis ejus consiliis adhærebat. Cumque adversus cum insurrexissent non solum vicini principes adjuncti potentiæ Regis, verum etiam fere omnes sui recessissent ab eo; Comitis evasio in [2456] dispersionem jam venerat. Hæc audiens Vir sanctus qui in talibus sibi parcere nesciebat, utpote pietatis visceribus affluens, decrevit se

---

<sup>3</sup> Epist. inter Bernardinas 352.

tantis malis opponere. Tandem multorum adjutus orationibus Religiosorum, assidue clamabat ad Dominum, et allegationibus divinis intercurrentibus, eo mediante detumuerunt procellæ, et reversa est inter Regem et Principem tranquillitas et pacis desiderata serenitas. De qua videlicet pace spem bonam ab initio Vir Dei conceperat, sicut quidam fratres sui se ab ipso audisse testati sunt, concito venturam ejusdem principis evasionem, quæ quasi incredibilis videbatur, evidenter eis prædixisse.

#### CAPUT XXIV. DE EJUS PATIENTIA IN MORBIS, CONTUMELIIS ET BONORUM JACTURIS.

65. Inter tantas itineris ac laborum fatigationes, quas Vir sanctus pro necessitatibus Ecclesiæ Dei susceperat, quotidiana et multiplex eum avertere non cessabat infirmitas. Unde constat patientiam ejus maxime quidem flagellis dominicis exercitam esse atque probatam. Nimirum ab ipso suæ conversionis initio usque ad diem sacræ depositionis tanta sustinuit, ut vita ejus his qui noverant, non nisi quædam mortis protelatio videretur. Cæterum erga homines etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiæ potuit experimenta præstare, dicendum tamen vel breviter ne hujus quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiæ solitus erat dicere tripartitum; videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis læsionem;

de singulis saltem singula proponantur, quæ interim exempla occurrunt. Scripserat aliquando idem Dei famulus ad episcopum aliquem de curia et de consilio Regis, monens eum super quibusdam negotiis Regi suadere et consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit epistolam: ad quam Christi servus, dominicæ benignitatis sedulus imitator, mansuetissime respondens, non minus postea charum, nec minus familiarem eumdem episcopum habuit; sed durum præsulis responsum apud eum sic fuit quasi non dictum.<sup>4</sup>

66. Abbas Farfensis conventum fratrum a [2457] Clara-Valle vocaverat, monasterium eis ædificaturus. sed Romanus impedivit Antistes, et eos in loco altero ordinavit. Unde plurimum dolens prædictus ille vir magnus, et magnæ devotionis, collectam pecuniam sexcentarum fere marcarum argenti deposuit in patria sua sub chirographo, quas ad Dei Hominem veniens obtulit ei, rogans ut mitteret pro argento; et quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes novum exinde cœnobium conderetur. Missum est pro argento, sed ad mandatum venerabilis Abbatis nihil inde redditum fuit. Nec respondit aliud Homo Dei cum ei nuntiaretur, quam, « Benedictus Deus qui nobis pepercit ab onere. » Gratulari etiam consueverat decem circiter monasteria, vel ædificandis monasteriis loca

---

<sup>4</sup> Vide Epist. 223, ad Joslenum episcopum Suessionensem.

congrua numerans injuste sibi ablata, dum contendere nollet, et magis eum vinci, quam alios vincere delectaret.

67. Veniens aliquando Claram-Vallem clericus quidam habitu canonicus regularis, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum : « Utquid ergo, ait ille, in libris tuis tantopere perfectionem commendasti, si eam desideranti opem renuis exhibere ? » Et iracundiæ spiritu vehementius instigatus, sicut postmodum evidenter apparuit : « Jam, inquit, si illos tenerem, discernerem libros. » Cui Vir Domini : « Puto, ait, in nullo eorum legisti, non posse te in tuo clauastro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, si bene memini, in libris omnibus commendavi. » Tum vero impetum faciens homo velut insanus in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant, in sacrilegum involabant : sed prævenit eos servus Domini, clamans et adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere, sed educere caute, et curam ejus habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam districte præcepit, ut ille timens et tremens absque omni injuria eductus sit et deductus. Nimirum doctus erat vincere in bono malum. Sic et ad quosdam scribens, inter cætera ait : « Adhærebo vobis, etsi

nolitis : adhærebo, etsi nolim ipse. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnescentes me.<sup>5</sup> » Usque adeo siquidem omnes homines [2458] germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullam videretur occasionem scandali præbuisse.

CAPUT XXV. DE EJUS MODERATA  
CORREPTIONE, MANSUETUDINE, CHARITATE AC  
SCRIPTIS.

68. Cæterum objurgationem ejus non minus facile aliquando compescebat gravis et turbulenta responsio, quam humilis et modesta, ut ab aliquibus perinde diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat, ubi resonat utrique modestia, dulce esse colloquium ; ubi vel ex parte altera, utile ; ubi ex neutra, perniciosum. Ubi enim hinc inde duritia sonat, jurgium est, non correctio ; nec disciplina, sed rixa : ut deceat magis interim dissimulare prælatum, et commotione sanata utilius castigare subjectos. Loquens etiam interdum ipse de increpationibus minus utiliter prolatis, minusve patienter acceptis, asserebat hora vespertina nullatenus utendum objurgationibus vel insistendum, ne frater turbatus noctem duceret insomnem, et solemnibus vigiliis minus se devotum exhiberet. In sermone etiam super Cantica canticorum

---

<sup>5</sup> Epist. 253, ad abbatem de Præmonstrato, n. 10.

quadragésimo secundo, inter cætera dicit : « Utinam neminem objurgare necesse sit ! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget charitas. Quod si arguero et fecero quod meum est ; illa autem procedens increpatio minime quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua, tanquam jaculum feriens et resiliens : quid me animi tunc habere putatis, fratres ? Nonne torqueor ? Prorsus coarctor e duobus, et quid eligam nescio, placere mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui, feci ; an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui non recepi. » Et infra : « Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Etsi innumera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem [2459] filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quæsierim, et non magis illius. Quæ enim mater, etsi omnem, quam potuit curam et diligentiam ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, et omnes labores suos esse penitus efficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fletibus temperabit ? Et hæc hactenus.

69. De cætero tantus æmulator erat mansuetudinis et pacis, ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum ; et gravamen cujuslibet hominis sustinere ei admodum grave, non sentire impossibile erat. Plus ejus piissimum pectus gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriæ immunitas conscientiæ solabatur. Siquidem dolebat, et minus sperabat posse sanari, quod unde procederet non videbat ; magnum sibi e regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine, etiam sine occasione turbato. Adeo neminem sprexit, nullius hominis scandalum parvi pendit. Nam et quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut ipsi quoque, qui læsi viderentur, abundanter haberent, unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Ex ipsis autem nonnulli, et de quibus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus postmodum vel obsequiis deservierunt, vel etiam adhæsere vestigiis. Erga omnium quoque hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur ; et summum ei desiderium, summum gaudium erat, animarum fructus et conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates



piissimo miserabatur affectu. Non solum corporum, sed etiam morum infirmitates in charitate patientissime supportabat. Nam eorum qui in hujusmodi laborabant, se maxime profitebatur abbatem, calamum quassatum non conterens, et linum fumigans non exstinguens.

70. Cæterum si quis nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator exstiterit, primum opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Inde si quæritur piæ mentis religiosa devotio, transeundum ad [2460] Homilias in Laudibus Virginis matris, et ad illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus; legatur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo cordis, et circumspecta discretio, de Præcepto et dispensatione disserens audiatur. Quam vero fidelis cujuslibet piæ conversationis commendator fuerit et adjutor, exhortatorius ad Milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet quæ de Gratia et Libero Arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus et in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples; in his quæ ad papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscet. Quam devotissimus prædicator alienæ sanctitatis, diligenter episcopi sancti Malachiæ vitam prosecutus ostendit. Nam in Sermonibus super Cantica canticorum, et indagator

mysteriorum, et morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, et omnem æque oderit injustitiam. Fidelis etenim servus Christi non quærebat aliquid suum ; quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis, aut laudabilis disciplinæ, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit charitas, diligentia non promovit ? Quid ante promotum dilatari amplius non optavit ? quid forte collapsum non totis pro loco et tempore viribus egit, ut repararetur ? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis de quacunque tribulatione fideliter clamaturus accessit, et inefficaciter laboravit ? Mœstus ab eo solatium, afflicto auxilium, consilium anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus orbi : ita tamen liber ex omnibus conscientiæ suæ curam gerens, tanquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui. Eo præsentem omnis sanctitas exultabat, omnis erubescere impietas, juxta illud : *Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum* (Psal. CVI, 42). Eo præsentem celebris quisque conventus, velut quodam sole resplenduit, absente caliginosus et quodammodo mutus [2461]

apparuit. Hujus denique medicinalis manus et lingua morbos utraque curabat : illa, corporum ; ista, morum. Hæc interim de moribus sancti Patris, licet ex parte, sub brevitate perstricta sufficiant.

#### CAPUT XXVI. ABÆLARDUM IMPUGNAT, ET HENRICUM HÆRETICUM.

71. Cum jam multis pressus esset laboribus, nec minus quotidianis laboraret incommodis, jam inter fratres sibi requiem affectabat : sed divina providentia aliter providente, ut meritis ejus præmium cresceret, alterius certaminis ei labor accessit. Fuit enim in diebus illis Petrus Abælardus, magister insignis, et celeberrimus in opinione scientiæ : cujus scripta minus consona fidei, cum undique volitare cœpissent, viri eruditi atque fideles nonnulla ex his capitula ad Dei Hominem retulerunt. Qui nimirum solita bonitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cum itaque in hujus correctionis expectatione Dei Famulus permaneret, eo penitus ignorante, consilio domini Henrici Senonensis archiepiscopi, dies est celebris constituta (an. 1140), qua prædictus magister et Abbas disputaturi super præfatis capitulis Senonis

convenirent. Illa autem dies erat, qua idem pontifex Regi Franciæ, et principibus, et universæ plebi sanctas erat ostensurus reliquias : ad quam Abbas vocatus, venire penitus recusavit, non hoc suum, sed episcoporum, fidei negotium esse renuntians. Postea tamen magnorum virorum monitis flexus, et auctoritate tractus, tristis quidem, nec sine lacrymis, demum pergere acquievit, sicut in epistola ad Innocentium papam ipse testatur, ubi plenius lucidiusque negotium omne prosequitur.<sup>6</sup> Adfuit dies ubi Rex et venerabilis Samson Remorum archiepiscopus, multique de episcopis utriusque provinciæ cum copiosa ecclesia convenerunt. Porro quam magnifice egerit servus fidelis et prudens, et quam utiliter in illo conventu, ecclesia propter hoc congregata evidenter agnovit. Sed et Dominus papa Innocentius in epistola de hoc ad episcopos [2462] transmissa in Galliis plenius attestatur<sup>7</sup> : qui videlicet Pontifex non multo post tempore viam universæ carnis ingreditur. Eo defuncto, et successoribus ejus Cœlestino et Lucio quam velociter consummatis, Eugenius papa Urbis efficitur.

72. In diebus pontificatus illius (an. 1147) Henricus quidam, qui olim exstiterat monachus, perniciosæ doctrinæ verbis persuasibilibus Tolosanæ gentis occupaverat levitatem ; et, sicut

---

<sup>6</sup> Epist. 189.

<sup>7</sup> Epist. inter Bernardinas 194.

prædixit de quibusdam Apostolus, in hypocrisi loquens mendacium (I Tim. IV, 2), fictis verbis de eis negotiabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreverenter ecclesiasticis derogans Sacramentis pariter et ministris. Adeo pravæ suggestionis ejus malignitas invaluerat, quod omnes institutiones ecclesiasticæ spernebantur. Hac necessitate Vir sanctus iter arripuit, ab Ecclesia regionis illius sæpius jam ante rogatus, et tunc demum a reverendissimo viro Alberico Ostiensi episcopo et legato Sedis apostolicæ persuasus pariter et deductus. Veniens autem, cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cœlo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset; tanta erat frequentia diebus ac noctibus adventantium, benedictionem expetentium, flagitantium opem. Prædicavit tamen in civitate Tolosa per aliquot dies, et in cæteris locis quæ Henricus ille frequentasset amplius, et gravius infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes revocans, subversos reparans, subversores et obstinatos auctoritate sua premens et opprimens; ut non resistere, sed nec assistere quidem et apparere præsumerent. Cæterum etsi tunc fugit a facie ejus hæreticus ille, et latuit; ita tamen per gratiam Dei impeditæ sunt viæ ejus et semitæ circumseptæ, ut postea vix alicubi tutus,

tandem captus et catenatus Tolosano episcopo traderetur.

73. In quo itinere plurimis signis in servo suo Abbate glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impiis revocans, aliorum corpora a languoribus variis sanans. Est locus in regione eadem, Sarlatum nomen est illi, ubi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei Famulo offerebant. Quos ille elevata manu et signo crucis edito in Dei nomine benedicens : « In hoc, inquit, [2463] scietis vera esse quæ a nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatem. » Timens autem venerabilis episcopus Carnotensium, magnus ille Gaufridus ; siquidem præsens erat, et proximus Viro Dei : « Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. » Cui Pater sanctus de Domini virtute nil hæsitans : « Non hoc ego dixerim, » ait ; « sed vere qui gustaverint, sanabuntur, ut perinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant. » Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et Vir sanctus per vicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinaverit, et timuerit illo ire.

CAPUT XXVII. QUID BERNARDUS DE  
MIRABILIBUS A SE FACTIS SENTIRET. UBI DE  
JEROSOLYMITANÆ EXPEDITIONIS INFELICI  
SUCCESSU.

74. Cum autem per totum ab eadem provincia reditum Viri sancti magis magisque signa crebrescerent, et multiplicarentur in dies, non prætereundum quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui a Christo humilitatem cordis et mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, et ex abundantia cordis locutus, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat : « Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines et perfectos ; facta sunt et per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur : confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, et a Domino ignorantur. » Hæc et hujusmodi crebrius secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Novissime vero opportunum sibimet visus exitum reperisse : « Scio, inquit, hujusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem, et Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem, ut in eo commendet [2464] hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc per quos fiunt, sed pro eis magis qui vident illa vel sciunt. Nec eo

fine per eos ista Dominus operatur, ut ipsos probet cæteris sanctiores, sed ut cæteros magis amatores et æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi et signis istis, quandoquidem meæ illa famæ magis quam vitæ noverim exhiberi ; nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum.» Satis, ni fallimur, hujus viri mirabitur animum, quisquis hæc diligenti consideratione pensaverit ; nec præstantius aut sublimius reputabit æstimator quisque fidelis signa atque prodigia per eum mirabiliter operari, quam perpetrata taliter ab eo interpretari. Sibi quoque non minus utile christianus animus judicabit, imitandos ejus affectus, quam mirandos actus ; et morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sic igitur divina cooperante gratia multipliciter Ecclesiæ Dei Viri sancti doctrina profuit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis.

75. Sane antequam idem Dei famulus a Tolosa rediret, multorum animos, et præcipue regis Ludovici Junioris, permovit Orientalis Ecclesiæ audita necessitas (an. 1146). Propter quod servus Christi a præfato rege semel et iterum expetitur : nec sic acquievit voluntati et petitioni ejus, donec ipsius tandem summi Pontificis generalem epistolam jussus est ab eo exponere populis atque principibus. Cujus tenor



epistolæ fuit, ut in pœnitentiam et remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri. Nec tacendum quod ex prædicatione ejusdem itineris Jerosolymitani contra eundem venerabilem Abbatem quidam minus intelligentes scandalizati fuerunt, quod tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum certum est, ut prædiximus, ab eo quidem initium non sumpsisse. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater in libro de Consideratione ad Eugenium papam, inter cætera ita dicens : « Quasi levitate in opere isto usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed te jubente ; imo per te, Deo. » Et post pauca : « Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam [2465] in Deum esse. Bonum mihi si dignetur me uti pro clypeo.<sup>8</sup> »

#### CAPUT XXVIII. DE GISLEBERTI PORRETANI CONFUTATIONE, AC INSTANTE BERNARDI MORTE.

76. Erat in tempore illo (an. 1148) magister Gislebertus Pictavorum episcopus, in sacris Litteris plurimum exercitatus ; sed sublimiora se scrutatus, quasdam novitates et ipse conscripserat. Super quibus cum jam fidelium scandalum et murmur invalesceret, in Remensi concilio, a venerabili Eugenio papa celebrato, vocatus ad medium est, et librum tradere jussus.

---

<sup>8</sup> Lib. 2, cap. 1.

Ibi venerabilis Abbas adversus novitates per biduum agens, sanctorum testimoniis tam modeste, quam fideliter eas redarguebat. Demum apostolico iudicio et auctoritate universalis Ecclesiæ, præfatæ novitates damnabantur : episcopus eidem damnationi consentiens, et publice refutans quæ scripserat, indulgentiam correctus consequitur ; maxime quod ab initio promiserat, sine ulla obstinatione se pro arbitrio Ecclesiæ sanctæ correcturum suam opinionem.

77. Sic Vir sanctus jam corpore quasi deficiens, mente tamen promptus et alacer, zelum Dei, quo fervebat interius, per annos aliquot bonis operibus exercebat, ac divini servitii laborabat insistere studiis indeficiens ejus sancta devotio. Et cum post tantos labores huic dilecto suo diu desideratum pretiosæ mortis somnum Dominus dare disponderet, et fidelem servum in requiem introducere suam, cœpit magis ac magis promptus in ipsum proficere spiritus, caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, et terrestris suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberioribus aspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. In cujus purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indiciis ; et ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat. Corpus lectulo decubans variis

exercebatur incommodis ; animus tamen nihilominus liber et potens, quæ Dei erant, exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid, [2466] aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream militem Templi epistolam scribens, inter cætera ait : « Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram.<sup>9</sup> » Dumque solito gravius laboraret, fratres insistebant supplicationibus et orationibus ad Deum pro eo. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est : « Quid tenetis miserum hominem ? fortiores estis et invaluable Parcite, quæso, parcite ; sinite me abire. »

#### CAPUT XXIX. DE METENSIUM PACE PER IPSUM COMPOSITA.

78. Jam itaque Pater sanctus in suo Claræ-Vallensi cœnobio consummationem cursus sui viriliter exspectabat, cum gravis admodum plaga Metensi populo supervenit, graviter oppresso a

---

<sup>9</sup> Epist. 288.

vicinis principibus (an. 1153). Imminebat totius provinciæ certa, ut putabatur, vastatio ; cum venerabilis eorum metropolitanus Hillinus archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formidans, unicum in tanta necessitate refugium petiit et expetiit Virum Dei. Veniens ergo Claram-Vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus rogabat et obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cujus manu erat placita anima illius : ut quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, etiam robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque interdum [2467] negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriatas, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in hoc opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina adfuit virtus et gratia, ut ex laboribus vires capere videretur.

79. Accidit autem, cum in Mosellæ fluvii littore residentibus hinc inde partibus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera

ex strage hostium, qui dudum ab eis conclusi corruerant, jam ferocior, quod exigebatur obstinata animositate renueret. Subito denique tanquam agitati furiis discesserunt, Virum Dei insalutatum, solam vero cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex metu reverentiæ ejus iniere fugam. Siquidem verebantur ne præsentium quamlibet improbas mentes facile fleteret, minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem, posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrinque meditabantur arma, sola inibant concilia malignandi, cum vir sanctus eos qui secum venerant, consolans fratres : « Ne turbemini, inquit ; licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet. » Quibus etiam unde id nosset, innotuit dicens : « Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solemnem. Cumque expleta paulo minus oratione prima recordarer angelicum ex more canticum, id est, *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, et quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi. » Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum pœnitudine principum legatione suscepta, jucunde satis conversus ad suos : « Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ et cantici pacis præparationem. » Iterum ergo partibus convocatis

per dies aliquot de pace tractatum est, et ob maximas difficultates occurrentes utrinque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio.

80. Nec parum ipsa dilatio profuit his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequerentur in carne ; seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut multitudine pariter atque importunitate sua, ipsum quoque negotium componendæ pacis pene desperabiliter impediret, [2468] donec quæsita in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt. Inter omnes sane, quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutiens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis quam miserabilis, et omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante Dei Famulo sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam se sentiens mulier sospitatem adeptam, exclamans : « Serve Dei, inquit, convalui. » Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permovit, ut percutientes pectora sua, per horam

fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus et concursus procidentium et deosculantium Viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, et imponentes in naviculam, a terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant : « Oportet nos libenter audire eum, quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit et exaudit ; et audito eo multa facere, pro quo tanta facit in oculis nostris. » Quibus ille, ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare : » Non propter me, inquit, sed propter vos facit. « Ibi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter definivit, datis sibi invicem dextris, reconciliati sunt in osculo pacis. Difficile foret itineris illius, sicut et alia per eum a Domino perpetrata, magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hac ergo seposita narratione, pie animadvertendum videtur, quod hic viarum suarum finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili quam difficili, nec minus desperatæ tunc pacis quam necessariæ, labores ejus gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit eum in laboribus suis. [2469]

CAPUT XXX. DE STATU ET MONITIS SANCTI VIRI IN EXTREMIS, AC DE PRETIOSA EJUS MORTE.

81. Ut autem expleta Metensium reconciliatione, et provinciæ illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum, jamjamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus aiebat : « Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem : non vobis esse quod adhuc timeretis, æstate proxima imminere hujus corporis dissolutionem. » At erat verbum istud absconditum ab eis, et capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum et ipse compatiens filiis ejusmodi verba supprimeret. Cæterum factis quodam modo clamans, « Opera consummavi quæ dedit mihi Pater ut facerem ; » magis ac magis actus exteriores omittere cœpit, affectus retrahere, velut et sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjactis, vicino jam littori hæerere firmius, et commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, et minus apponere animum miraretur : « Ne miremini, inquit ; ego enim jam non sum de hoc mundo. »

82. Videns demum Pater sanctus, compassionis et misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi filios miserabiliter tabescentes, et



arescentes præ timore et exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ et lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refovebat : et monens eos in tuto divinæ clementiæ sinu spei anchoram, fideique suæ per inconvulsibilem charitatem firmiter radicare, se quoque promittebat, nec post mortem eis aliquando defuturum. Propensius autem rogans et obsecrans per multas lacrymas, timorem Dei et sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem eorum imprimere animis conabatur. Sed et monebat, et cum lacrymis obtestabatur, ut si quid virtutis aut exemplo commendasset aut [2470] verbo, id æmularentur, id firmiter tenerent, et in eo proficerent. Videns itaque suorum finem imminere dierum, quosdam fratres, qui in familiari sibi conversatione diutius adhæserant, seorsum advocans alloquebatur, talia dicens : « Quia non arbitror me magna vobis religionis exempla posse relinquere, tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri, me pro possibilitate mea meminisse observasse. Minus sensui meo quam alterius credidi. Læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui ; et si quando incidit, sedavi ut potui. » Ecce quam breviter, quamque luculenter in his Dei Famulus humilitatem, patientiam, charitatemque discipulorum mentibus inserere nitebatur, imitanda proponens eis non tam verbo et lingua, quam opere et veritate.

83. Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola scripta ad Arnaldum Bonæ-Vallis abbatem, in qua sic ait inter cætera : « Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus, dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die et in nocte exigit confortari, modico admodum qualicumque liquore : nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviolem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, et vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam nobis manum agnoscatis affectum (Epist. 310). » Ex hujus ergo tenore epistolæ potest nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas

animi, suavitas spiritus, quanta sub fiducia culmine radix humilitatis. [2471]

84. Sed et filiorum ejus inter hæc animos aliquatenus æstimare licebit, vultus exsanguis, singultus graves, crebra suspiria, anxias cogitationes. Nimirum cum thesaurus tantus et tam amabilis adhuc in eorum manibus esset : et tamen nec spes esset diutius retinendi, nec facultas pariter commeandi. Nec tamen lugendum eis ullatenus super illum, qui in gaudium Domini Dei sui feliciter invitatus, jam jamque intraturus erat, sed super se ipsos, quibus erat vita tunc tædio, et adhuc mors timori. Gravis quidem erat in hac separatione conditio, post mirificam lucem horrere magis tenebras, post ejus transitum subintrantes. Igitur ante Patris ejus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium Christo genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, et hæc atque hujusmodi loquebantur : « Nunquid non misereris huic monasterio, pater ? nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti ? » Tum vero flens ipse cum flentibus, et columbinos oculos in cælum porrigens, testabatur coarctatum se e duobus, et quid eligeret ignorantem, divino totum tribuere arbitrio pietatis. Nam et hinc paterna illum urgebat pietas, filiorum votis annuere ut maneret ; inde trahebat Christi desiderium ut migraret. Radicata tamen ab olim in

pectore ejus humilitas persuaserat ei, ut ex intimo cordis affectu servum se inutilem esse diceret et arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam et solitus erat in familiari colloquutione fateri, mirari se, et vix credere hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent, ut dicebant; quod nec homines veraces fallere velle, nec tam prudentes falli posse verisimile videretur, cum alterutrum excusare non posset. Quem enim totus mirabatur orbis, solus ipse, quod erat mirabilius, non videbat, suæ videlicet vel operationis, opinionisve splendorem. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago desideranti animæ liberum præstaret egressum, post sacræ Unctionis celebrationem, et sacratissimi corporis Dominici perceptionem, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies. Ad cujus exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati.

85. Hora igitur diei pene tertia, singularis [2472] lucerna suæ generationis sanctus ac vere beatus abbas Bernardus a corpore mortis in terram viventium, ex filiorum circumstantium, et in graves singultus ac lacrymas uberes utrimque psallentium choro, feliciter Christo duce migravit, ad multorum quos ipse præmiserat cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina Angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum

privilegia meritorum ; quam sic pia filiorum prosequabantur vota, sic quoque superiorum desideria sacra trahebant ! Felix transitus de labore ad refrigerium, de exspectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem.

CAPUT XXXI. DE BERNARDI APPARITIONE  
POST MORTEM, AC DE EJUS SEPULTURA.

86. De quo transitu ejus multa audivimus apparuisse quam multis, et quidem non indigna relatu ; sed difficile nimis singula vestigare, et scribere omnia nimis longum. Unum tamen ponimus, quod tam verum quam manifestum is cui hoc contigit, frater Guillelmus de Montepessulano, ante obitum suum patri suo spirituali reserando et attestando effecit. Is vir magnificus olim in sæculo, sed magnificentior in sæculi fuga, in cœnobio Grandis-Silvæ monachus factus, Patrem sanctum aliquando devotissime visitavit. Rediturus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui Vir Dei : « Ne timeas, ait, adhuc sine dubio me videbis. » Hujus ergo effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus expectans, ipsa nocte cum ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-Silvæ apparentem sibi videre meruit, et dicentem : « Frater Guillelme. » Et ille : « Ecce ego, domine. – Veni, inquit, mecum. » Quo interrogante quo irent :

«Veni mecum, ait, usque ad radices Libani montis.» Quo cum pervenissent, dixit ad eum : «Tu manebis hic ; ego autem ascendam ad montem.» Interrogatus qua de causa vellet ascendere : «Discere volo,» inquit. Miratus ille : «Quid, ait, vis discere, pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum?» Ad quem Sanctus : «Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio ; sursum [2473] scientiæ plenitudo, sursum est vera notitia veritatis.» et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est : et occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Joannem in Apocalypsi de cœlo sonuit : *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (Apoc. XIV, 13). Ut autem mane locutus est abbati suo et fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem, ac diligentius inquirentes, ut audierant, invenerunt.

87. Dum itaque fidelis Minister et Sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis ad altare Dei, sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus ; corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium et ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, et vallem totam ploratus et ululatus multus implebat. Amarius tamen præ foribus monasterii lamentabatur sexus

miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici disciplina Ordinis inexorabiliter eis negaret ingressum. Biduo autem mansit in medio gregis Pastor extinctus, dum pristina dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat supra modum ruens undique populorum multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles Sancti tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, annulos, nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione et variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium, per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam solemnem, copiosus undique conventuri. Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, et tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederat, ut nulla [2474] pene episcopis astantibus reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile, aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, et mane divina ex more sacrificia consummantes, sicut et biduum jam in celebratione Missarum et jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commisere, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

88. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus, annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-Vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum Pater, decimo tertio kalendas septembris inter filiorum manus obdormivit in Domino. Sepultus est autem undecimo kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis matris, cujus fuerat devotissimus ipse minister. Sed et pectori ejus ipso in tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continebantur : quas eodem anno ab Jerosolymis sibi missas suo jusserat corpori superponi, eo utique fidei et devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhereret conresuscitatus.

89. Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus papa tertius Eugenius, ejusdem Patris in sancta conversatione filius, ab hac luce migravit ad Dominum : cujus merita in ipsa, cui insigniter præfuit, Urbe miraculis plurimis illustrata coruscant, successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnantibus autem in Romanorum imperio Frederico Illustri, in Francorum regno piïssimo rege Ludovico filio Ludovici, principatum Ecclesiæ universæ, ac totius creaturæ visibilis et invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab incarnatione sua millesimo centesimo



quingagesimo tertio ; qui cum Patre et Spiritu  
sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.  
Amen. [2475]

FRAGMENTA EX TERTIA VITA SANCTI  
BERNARDI auctore, ut videtur, Gaufrido monacho  
Clarae-Vallensis.

I. — ORTUS ET GENUS S. BERNARDI.

In territorio Lingonis civitatis situm est castrum, nobile quondam et inclytum valde, cui Castellio nomen est, multos habens proceres armis strenuos, sed multo magis legalitate præcipuos: inter quos excellebat Tecelinus quidam, cognomento Sorus; quo nomine, vulgari lingua subrufos et pene flavos appellare solemus. Erat autem vir iste genere nobilis, possessionibus dives, suavis moribus, amator pauperum maximus, summus pietatis cultor, et incredibilem habens justitiæ zelum. Denique et mirari solebat, quod multis onerosum esse videret servare justitiam; et maxime (adversus quos amplius movebatur) quod aut timore, aut cupiditate desererent justitiam Dei. Erat quidem miles fortissimus, sed non minori studio laudes ipse fugiebat, quam cæteri captare videantur. Nunquam armis usus est, nisi aut pro defensione terræ propriæ, aut cum domino suo, duce scilicet Burgundiæ, cui plurimum familiaris et intimus erat: nec aliquando fuit cum eo in bello, quin victoria ei proveniret. Erat quidem indigena Castellionis, sed dominus minoris castrî, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum.

Huic sane uxor erat, Elizabeth nomine, ex optimo genere Burgundionum, Bernardi de Monte-Barro filia, digna tanto genere et tanto viro, imo et gloria utriusque... Elizabeth filium hunc, divino edocta oraculo, tenerius omnibus dilexit. Unde et patris sui ei nomen imposuit, Bernardum eum vocans. [2476]

## II. – VISUM DIVINUM IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI BERNARDO PUERULO OBLATUM.

Erat autem in Castellione ecclesia, tunc quidem sæcularium canonicorum, sed in maxima disciplina viventium, in qua Bernardus est educatus a parvulo. Vigilia ergo Dominicæ Nativitatis, dum adhuc puerulus dormiret in domo patris, videbatur sibi videre Virginem parientem, et Verbum infans nascens ex ea. Protinus autem pulsatum est ad Vigilias: et excitans eum mater, induit accurate vestibus canonicalibus,<sup>10</sup> et secum pariter ad ecclesiam duxit, ut solebat. De qua visione dicere ipse solebat, quod eam crederet Dominicæ nativitatis horam: et quod sibi ostensum est, signum fuisse multorum quæ sibi de eadem postmodum nativitate revelata sunt mysteriorum.

## III. – DE EJUS PATRE, ET FRATRIBUS.

---

<sup>10</sup> Ut solent scilicet nonnullæ piæ matres vestes monasticas filiis suis aptare.

Andreas Bernardo dixit : « Ecce, date operam ne quis fratrum nostrorum in sæculo maneat : alioqui scinde medium, quoniam nec a vobis, nec ab illis separari tolerabile est. » Quid virilem illius patris animum loquar ? qui una die sex filios, et filios tales videns abire, non modo non doluit, sed et gavisus est valde ; illud tantum monens, ut in omnibus modeste agerent : Quoniam ego, inquit, novi vos, quod aut vix, aut nunquam possit zelus vester cohiberi. » Proficiscentibus itaque fratribus, unus tantum, et ipse puerulus, remanebat, qui cum parvulis aliis in platea jocabatur. Videns ergo eum senior frater [2477] Guido : « Ecce, inquit, Nivarde, secure potestis ludere, quoniam terram multam habiturus estis. » At ille subsannans : « Cum maledictione, inquit, fiat hæc distributio, ut vos cælum habeatis, ego terram. » Fugiebat ergo quotidie puer ad fratres suos, volens conversionis eorum socius fieri. Sed quia parvulus erat, remittebant eum, et reddebant patri suo. Tandem non ferentes importunitatem ejus, tradunt eum sacerdoti cuidam, ut disceret litteras : et ubi paululum crevit, factus est et ipse Novitius apud Cistercium ; et suscepto post anni spatium habitu, redditus est fratribus in Clara-Valle.

#### IV. – GUIDONIS PRIMOGENITI CONJUX, ABBATISSA ELARIACI PROPE DIVIONEM.

Senior frater ejus Guido, cum de conversione loqueretur ei, excusare se cœpit de uxoris vinculo,

quod solvere non liceat. Promisit tamen in fide, et dextram dedit, venturum sese cum fratre, si posset ab uxore licentiam obtinere. Ad quem illico frater ait: « Ut meliori sis animo, ego quoque in eadem tibi fide promitto, ante proximum Pascha, aut licentia, imo et petitione, aut certe morte ipsius, solvendum te a lege uxoris. » Et promisit in manu ipsius. Nec multo post factum est uti prædixit: et cœpit juvencula nobilis et decora, cum omni instantia lacrymarum, in cubiculo, stupenti viro pro conversionis licentia supplicare. Ipsa est quæ usque hodie in monasterio Lairiacus, quod prope Divionem situm est, perseverat mulier virtutis, et multarum in Christo virginum mater.

V. — LUDOVICO SENIORI REGI PRÆDICIT  
MORTEM PHILIPP FILII EJUS PRIMOGENITI.

Querelam episcoporum adversus regem Francorum Ludovicum seniore, patrem ejus qui nunc est Ludovici, manifeste explicant epistolæ beati Viri ad apostolicam Sedem pro hoc ipso directæ. Factum est autem, ut die quadam congregarentur ad regem episcopi, et vocatus ab eis Abbas Claræ-Vallensis, qui licet adhuc juvenis, summa tamen totius Ecclesiæ columna jam tunc videbatur. Procidentes autem episcopi ad pedes regis, humiliter supplicabant ei, ut qui satis ante dilexisset et honorasset Ecclesiam, parceret etiam in hac parte, ne forte durius [2478] quam vellent,

contra eum agere cogerentur. At ille non satis eorum precibus acquievit. In crastinum autem durius arguebat eum venerabilis Abbas, manifeste deminans : « Quia offendisti terribilem, et eum qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terræ ; certus esto quoniam offensa hæc primogeniti tui Philippi morte mulctabitur. Vidi enim nocte præterita, et ecce tu cum filio tuo Ludovico procidebas ad pedes episcoporum. Intellexi autem continuo moriente Philippo supplicaturum te eis, quod non possis nisi per manus eorum substituere Ludovicum. » Erat enim Philippus jam unctus in regem, magnæ omnino spei adolescens, et patri (quod ex abundanti est dicere) omnino charissimus. Unde et audito sermone commota sunt viscera patris super filio suo. Et promisit satisfacturum se episcopis : sed consiliis seductus iniquis a promissione resiliens, non post multum temporis, miserabilem satis obitum filii sui Philippi ipse et tota cum eo Francia deploravit.

VI. – S. BERNARDI EPISTOLAM AD ROBERTUM NEPOTEM, IN PLUVIA SINE PLUVIA SCRIPTAM, GAUFRIDUS EJUS NOTARIUS PRIMAM INTER EJUS EPISTOLAS CONSTITUIT.

Nepos ejus Robertus, quemadmodum seductus fuerit, cum adhuc puer esset, ipsius, de qua loqui volumus, epistolæ verba declarant. Cum enim in alio Ordine jam per aliquot annos

demoraretur, scripsit ad eum epistolam, erroneam ovem revocans. Exiit autem extra monasterii septa, ut dictaret secretius : et Guillelmus, qui postea in Angliis Rievallensem ædificavit abbatiam, quæ dictabantur excipiens scribebat in charta. Subito autem inundante pluvia timuit qui scribebat : erant enim sub divo. Cui venerabilis Abbas : « Opus, inquit, Dei est ; fac quod facis. » Res mira ! madebant vestes eorum, et scribebatur grandis epistola, et chartam omnino non tetigit imber. Exstat adhuc epistola : et ego ipse primam eam constitui in corpore Epistolarum, cum audissem tam grande miraculum ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia.

VII. – DUCISSÆ LOTHARINGIÆ AD VITAM  
MELIOREM CONVERSIO DUPLEX.

Ducissa Lotharingiæ (quæ nunc in monasterio sanctimonialium feminarum, quod Tartum [2479] vocatur, servit Deo in humilitate et paupertate multa) cum adhuc corporis voluptatibus supra modum dedita esset, contigit venerabilem Virum pro pace quadam rogare Ducem pariter, atque ipsam. Dumque loquens extenderet manum, casu factum est, ut Ducissæ chlamydem tangeret. Cui unus de astantibus arridens : « Super religiosam, inquit, mulierem extendisti manum, pater. » At ille : « Nondum venit hora ejus (Joan. VII, 30). » Audiens Ducissa (siquidem litteras noverat) compuncta est

vehementer, et usque ad medullas animæ ejus sermo vivus et efficax penetravit. Eodem quoque tempore somnium vidit, quo amplius animata est, Virum Dei sentiens ab ejus utero septem serpentes horribiles manu propria extrahentem. Cui non longe post committens animam suam, sæculo abrenuntiavit : et usque hodie gloriatur se esse, de qua Pater sanctus ejecit septem dæmonia.

VIII. – REGINÆ ALIENORDI S. BERNARDUS  
PROMITTIT OBTINETQUE A DEO PROLEM.

Et præcipuus hujus incentor odii comes Viromandensium fuit, Radulfus de Perona, sororem Reginæ tenens, dimissa quadam affini comitis Theobaldi. Factum est in festivitate beati Dionysii, regina Alienordis in ecclesia ipsius martyris cum Patre nostro loquebatur, conquerens quod conclusisset Dominus vulvam ejus ne pareret. Jam enim annis fere novem vixerat cum Rege : et a primis quidem annis conceperat, sed fecerat abortivum, et exinde sterilis permanebat, jam de fecunditate desperans. Cui miserabiliter conquerenti Pater venerabilis ait : « Sollicite quære quæ ad pacem sunt, et ego tibi, confisus de divina miseratione, partum promitto. » Hoc et ipse Rex per Reginæ verbum cognoscens, ubi perfecta est reconciliatio, secretius alloquens beatum Virum, quod Reginæ promiserat, exigebat, etc. Ipso denique anno Regina concepit, et peperit.



IX. – CONVERSIO GAUFRIDI IPSIUS, ET ALIORUM  
DE SCHOLA PARISIENSI.

Contigit aliquando Virum Dei pro quibusdam [2480] negotiis ad partes Galliae proficisci. Cumque in itinere et in reditu scholaribus Parisiensibus, ut solebat, fecisset de conversione sermonem, vespere coepit contristari et moestus esse, dicens Deo in orationibus suis: « Quia timeo omnino ne forte oblitus sis mei, cum praeter morem, infructuosum penitus factum sit iter meum, et neque de his propter quae veneram, aliquid obtinuerim, nec apud clericos istos in verbo tuo apertum sit mihi ostium ullum. » In ipsa enim hora ita consolatus est eum Deus, ut manifeste praescierit et praedixerit, « Quia nequaquam vacuus hinc abibo. » Sit benedicta dies illa a Domino, qua sedenti in tenebris et in umbra mortis lux orta est mihi. Sit benedicta dies, qua Sol justitiae, imo misericordiae, oriens visitavit ex alto miseram animam meam: adversum et perversum nimis hominem, in verbo uno, in momento, in ictu oculi, inestimabili mutatione dexteræ Excelsi, prorsus in alium hominem recreans, ut sim initium aliquod creaturae ejus. In aeternum non obliviscar miserationis hujus, qua tam copiose praeventus, tam subito mutatus, multorum super me animos obstupescere feci. Multi vero in illa captura dominicis retibus irretiti sunt pisces, multi et in itinere adjuncti nobis; ita ut transacto probationis anno, ex hoc collegio

monachi facti simus viginti et unus. Eodem sane tirocinii nostri tempore, absente aliquando Patre nostro, cœpi corpore infirmari, et affligi mente. Scio quia satanas expetivit me, ut cribraret sicut triticum : sed non latuere Patrem quæ circa me agebantur ; et perfecte omnia cognoscens per spiritum, quæ versabantur in corde meo, sicut post reditum ejus comperi, oravit pro me ne deficeret fides mea. Ibi, ibi, supra quam essem impressisti me mirabiliter cordi ejus, Domine Deus meus. Gratias tibi, Domine, gratias tibi. Unde enim tali animæ in tali pectore talis locus ? Simile quiddam sibi venerabilis Albericus, qui hodie abbas est in loco, cui nomen est Benedictio-Dei, de se, cum Novitius esset, accidisse testatur.

X. – MORS GUIDONIS FRATRIS PRIMOGENITI S. BERNARDI IN PONTINIACO, IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Senior frater ejus Guido, dum cum eo a Bituricensi territorio redit (novam quippe [2481] illuc deduxerat abbatiam), febre acuta correptus, diebus paucis Pontiniaci infirmatus est ; et ipsa nocte, qua Sanctorum Omnium festivitas agebatur, felici eorum consortio meruit aggregari.

XI. – CONVERSIO HUGONIS DE VITREIO.<sup>11</sup>

---

<sup>11</sup> Quæ sequuntur, prætermissa apud Chiffletium, postea reperta sunt.

Dehinc profectus ibat ad constitutum locum, ubi etiam multos undique collegit. Ait quadam die ad fratres suos. « Habeo amicum Matisconi, Hugonem de Vitreio, et ipsum oportet adducere, ut sit et ipse unus ex nobis. » Erat autem clericus nobilis, et jam maturioris ætatis, sæcularibus pariter et ecclesiasticis facultatibus affluens. Cœperunt ergo qui noverant eum temeritatis arguere : nihilominus ipse confidens sine omni hæsitatione festinavit ad ipsum. Erat autem fama in regione, quod Jerosolymam esset iturus : sic enim ipse fingebat, non in eam in qua fuit, sed in qua est Dominus, Jerosolymam profecturus. Videns ergo eum prædictus Hugo, flens et ejulans in amplexus ejus ruit : sed Vir Dei lacrymas ejus penitus non attendebat. Ubi vero paululum respiravit, revelat ei propositum suum : et ecce innovatus est dolor, et fons lacrymarum fluxit uberius, ita ut tota die illa non acquiesceret pupilla ejus. Sequenti nocte pariter accubuerunt in angustissimo strato, ita ut vix caperet alterum. Nec tunc ergo cessabat a lacrymis Hugo, ita ut argueret eum Vir sanctus, quod dormire eum non pateretur. Ubi vero obdormivit, videbatur sibi, invocato ex more Spiritu sancto, habere ad eum de conversione sermonem, et non deesse voci suæ vocem virtutis. Mane autem facto cum rursus fleret Hugo, moleste jam accipiens cœpit durius objurgare eum. At ille : « Non mihi, inquit, eadem hodie lugendi causa, quæ fuit heri : heri

enim super vos flebam ; hodie super me ipsum. Novi enim conversationem vestram, et mihi quam vobis conversionem esse magis necessariam non ignoro.» Ad quem Bernardus exultans : « Flete, » inquit, « nunc satis, quoniam optimæ sunt lacrymæ istæ ; nolite cessare. » Exhinc cum vidissent eos clerici ambulantes pariter, et exultantes simul, nec ad momentum ad invicem separari, conati sunt Hugonem avellere a Bernardo, timentes, imo jam aperte cognoscentes, quam uno spiritu [2482] agerentur. Tenentes ergo Hugonem, jam nulla ratione pati voluerunt ut Vir Dei cum eo de cætero loqueretur. Abiit ergo tristis : sed et nihilominus erat adhuc cor ejus fiduciam habens in Domino. Post aliquot dies sane conventum audiens episcoporum, festinavit illuc, ut Hugonem videret. Clerici vero cum vidissent eum, præter morem torvo oculo respicere, et stipare Hugonem undique, ne quis pateret accessus. Seditibus ergo in campo, et colloquentibus episcopis, in medio clericorum juxta Hugonem sedens, loqui ei non poterat propter astantes, sed tamen flebat uberrime super collum ejus : et ecce inundaverunt aquæ, et cælum dedit pluvias, ita ut dispersi cum omni festinatione ad proximum vicum currerent. Sed Beatus Hugonem manu tenens : « Mecum, inquit, in pluvia stabis. » Statimque serenitate reddita, soli stabant in campo, et confessus est Hugo juramentum quod fecerat, minime se monachum

fore usque ad annum. Hoc autem fecerat, ut deciperet clericos, annuam quippe probationem non ignorans. Ibi confirmato ex integro sodalicio spirituali redierunt, manu sese tenentes alterutrum: et jam desperati omnes, nemo deinceps Hugonem detinere tentavit.

## XII. – APPARITIO GALERAMNI ABBATIS URSI-CAMPI.

In iisdem annis Viro Dei demoranti in sua Clara-Valle vir religiosus, primus abbas Ursi-Campi Galeramnus, cum obisset apud Igniacum, beato Patri apparuit, et ab eo licentiam et mandatum accepit introeundi in requiem Domini. Quod certe et de multis aliis factum esse certissimum est, adeo ut pro nonnullis antequam ei nuntiaretur obitus, etiam Missarum solemnia celebrans divina obtulerit sacrificia, stupentibus his qui cum eo erant, et sollicite notantibus diem.

## XIII. – MORS ANDREÆ FRATRIS S. BERNARDI.

Eodem denique tempore, quo pacis quærendæ negotiis occupabatur, frater ejus Andræas in Clara-Valle transitoriam hanc finivit vitam; et is quoque priusquam aliquid de infirmitate ipsius Pater sanctus audisset, per nocturnum soporem assistens ei una cum Gerardo fratre suo, dedit ei osculum pacis. Intellexit autem [2483] signum licentiæ esse, et post paucos dies obitum ejus audivit.

#### XIV. – DE HERVEIO GALERAMNI SUCCESSORE.

Sed quia super venerabili Galeramno fecimus mentionem, quæ de Herveio, non minus moribus et religione, quam genere illustri, prædicti Galeramni successore, facta sunt, non arbitramur prætereunda silentio. Herveius itaque puer de sanguine regio in domo avunculi sui Noviomensis episcopi nutriebatur. Hunc Pater sanctus cum apud prædictum episcopum hospitaretur, cantantem aliquando audiens, sicut optime puer noverat, ex occasione cantus illius more suo multa astantibus locutus est de spirituali conversatione. Eadem vero nocte in somnis ei videbatur, quasi Missarum solemnia celebraret ; et accedens angelus acceptum ab ore ipsius pacis osculum puero traderet. Unde et manifeste prædixit, sine dubio Religiosum eum futurum, adeo ut nec puer ipse datam de se ignoraverit prophetiam. Cujus indubitatus expectabatur adventus, ut post multos annos, cum jam adolevisset, et gravissime a propria conscientia argueretur ; tota tamen fiducia in memoria verbi illius respiraret, dicens secum, sicut nobis ipse postea testabatur : « Sine causa times : impossibile est ut pereas ; omnino beati Viri sermo implebitur in tempore suo. » [2484] Et certe ita jam factum esse videmus. Porro angelus ille, abbas Galeramnus fuit, qui acceptam ab ore Patris sancti pacem dedit Herveio. Ab eo siquidem, cum adhuc adolescens esset, fugiens domesticos

inimicos, habitum conversationis accepit. Cui deinde in abbacia succedens homo dulcissimi spiritus et ferventissimus sui corporis castigator, consummatus in brevi explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima ipsius. Præcognovit autem obitum suum sanus adhuc et incolumis, ipso ei prædecessore suo revelante. Nec mora gravi cœpit corporis molestia prægravari : et infra sextum diem beato fine quiescens, appositus est ad patres suos.

XV. – DE ALIORUM A S. BERNARDO  
PRÆCOGNITA CONVERSIONE.

Quod autem de eo diximus, præcognitam a Sancto Domini conversionem ejus, super aliis quoque plurimis novimus contigisse. Ex quibus fuit etiam Macelinus Teutonicus adolescens illustris, et Albero vir venerabilis, qui postea abbas factus est in Suecia, et magnus vir ille Gaufridus de Peronia, qui in Clara-Valle Prioris officio functus et defunctus est. Huic quoque Gaufrido, dum adhuc esset in cella Novitiorum et sollicitus esset pro Patre suo, etc. [2485]

VITA QUARTA SANCTI BERNARDI  
ABBATIS *duobus libris scripta a Joanne eremita.*

INCIPIIT EPISTOLA JOANNIS EREMITÆ AD  
PETRUM TUSCULANUM EPISCOPUM, DE VITA  
BEATI PATRIS NOSTRI BERNARDI, PRIMI CLARÆ-  
VALLIS ABBATIS.

1. Juxta petitionem et desiderium vestrum, pater dilectissime Petre, ad vestram et aliorum ædificationem, pro modulo nostro vitam beati Bernardi, primi Claræ-Vallis abbatis, litteris commendare duximus dignum; ut per ejus imitationem et exempla, ad æternam beatitudinem pervenire possimus. Sine dubio dignus est Sanctus iste, de quo volumus facere mentionem, laudari et coli: quoniam cum sanctis et electis Dei, regni cœlestis adeptus gloriam, in medio Ecclesiæ laudem habere meruit et honorem; unde nomen in sanctitate sortitus est et in benedictione vivit ejus memoria. Scriptum namque est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. CXV, 15). Vere justus est iste Sanctus, et fidelis inventus in numero sanctorum, quasi ignis effulgens, et quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Ideoque fecit illum Dominus crescere in plebem suam, et semen ejus multiplicavit sicut arenam maris. Sermo ejus non frustra humanis auribus insonabat, sed rebus et factis causas rerum faciendarum inferebat, signis et virtutibus gloriosus. Multi etiam inventi sunt in



numero sanctorum, quos ipse per Evangelium genuit. Numerum vero miraculorum, quæ per eum facta sunt, si volumus explicare ad hoc non sufficet ingenii nostri parvitas. De cætero, si ea ad plenum et sciremus, et possemus evolvere, dicentibus fortasse non crederetur. Unde pauca in præsentî, quibus fides neganda non est, volumus explicare. [2486]

2. Monachus quidam, venerandi Abbatis verax dilector et sincerus, forte cum quodam laico fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-Vallensi deambulabat, librum Miraculorum sancti Patris tenens in manibus ; exponens ea secundum idioma romanæ linguæ, tam suæ quam illius ædificationis causa. Contigit ergo eos, modicæ pausationis gratia, consedere sub arbore piro, secus viam, per quam quotidie vadunt et veniunt laborantes in horto. Cumque non post modicum tempus consurgerent, supradictus monachus oblivione subripiante, sicut multoties fieri solet, librum quem paulo ante in manu tenuerat, humi per improvidentiam depositum reliquit. Abiit itaque, et regularis disciplinæ studiis occupatus, cum tandem reduceret ad memoriam, quomodo, ubi, et quando perdidisset illum, nullam omnino spem recuperandi concipiens (tum quia prope viam dimiserat, tum quia interim tanta fuerat facta inundatio pluviarum, ut etiamsi reperiretur, nihil amplius quam perditum valere crederetur), post

aliquantum tempus ab illius inquisitione cessavit, imo etiam penitus desistere visus est ; maxime tamen constrictus, quod per negligentiam suam Miraculorum sancti Viri volumen amisisset. In hunc modum transigens unum circiter mensem, cum post modicam per hortum deambulationem, sub arbore prædicta resedisset, non tamen proposito quærendi, vel spe recuperandi quod perdiderat : miro et inaudito modo librum, tanquam ab aliquo conservatum, et tunc de recenti, et ex industria juxta se positum, subito in medium proferri miratus est. Et ut mirabilius esse credatur quod contigit, tam charta, quam [2487] scriptura adeo sana et incorrupta permanserat (nisi quod pauculis guttis exterius operimentum respergi videbatur), ac si cum cæteris libris in bibliotheca liber idem fuisset repositus. Quid super hoc audientibus visum fuerit, nescio : ego autem pro parte mea asseverare non dubito, rem talem, tamque insolitam, nequaquam sine miraculo contigisse ; quod siquidem beati Viri meritis ascribere et ratio persuadet : et veritas compellit.

3. Nocturni temporis silentio, cum post fatigationem diurni laboris, modicæ repausationis gratia recubisset in lectulo, apparuit ei vigilanti vir venerabilis, amictus stola nivea, et staturæ mediocris, ætate grandævus, crine candidus, angelica facie reverendus. Is in manibus suis duos libros tenere videbatur. Accedens itaque ad

fratrem supra memoratum, porrexit ei utrumque, dicens : « Accipe, vide, et lege. » Qui repentinæ visionis horrore, sicut fieri solet, attonitus, securitatem tamen ex affatu benigno, aspectu tranquillo, vultu quoque angelico sumens, respondit : « Domine pater, nescio litteras. Simplex et illitteratus quomodo legam ? » At ille, « Fili, noli timere : ecce Dominus tecum est, et docebit te, et me intercedente, bene erit tibi. » Hujusmodi pia admonitione confortatus frater, utrumque volumen accepit, evolvit, et legit ; mirans et obstupescens in semetipso, quonam modo id fieret. Persona deinceps assistens, quasi alterum volumen secum deferens, alterum fratri relinquens, valem faciens ei data benedictione disparuit. Quid igitur ? Mirabile quidem dictu est quod dicemus, Quid enim mirabili hoc mirabilius ? Fratrem novimus omnes quotquot sumus. Laicus quidem erat paulo ante, nec etiam alphabetum noverat. Deo tamen illuminante, ejus intelligentiam, et quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut non solum legere, verum etiam cantare satis decenter et convenienter sciret. Exinde tam usu quam gratia cooperante, dictionum significationes aliquantum intelligere cœpit, et in hujusmodi scientia paulatim proficere. Visionem itaque supradictam scripsit in spe adjutorii divini, et subventionis beati Viri, quem credimus ei apparuisse. Nonnulla miraculorum ipsius, quæ vel

scriptoribus ignota, vel per negligentiam fuerant prætermissa, tam decenter, tam bene, tamque eleganter litteris commendavit, ut [2488] subinde rapti in admirationem, dicamus cum propheta David : *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* (Psal. CXVII, 23). Quis ergo neget hoc miraculose factum esse? Quod apertius, quod evidentius miraculum? Ascribimus igitur in primis gratiæ Dei illud, attribuimus deinde meritis Sancti, assignamus denique fidei et obedientiæ fratris.

4. Quid plura? Revera Sanctus iste magnus est in numero sanctorum, inter Angelos et Archangelos, inter Apostolos et martyres, inter confessores et virgines, quia nunquam fuit pollutus, sed semper virgo permansit et immaculatus. Semper ejus mens erat in Deo, et Deus erat cum eo. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis. Mortuos suscitavit, dæmonibus imperavit, claudis gressum reddidit, mutis loquelam, ægrotis sanitatem. Semper apud se erat modicus, apud summos magnificus, scriptis et fama mirificus, placidus bonis, malis terrificus, clarus meritis, exemplar morum, lux et speculum Christicolarum, maxime monachorum et omnium religiosorum. Lex Dei in corde ipsius, et doctrina sua, sicut sol in diebus æstatis, fulgens in Ecclesia Dei. Baculus fuit claudis, oculus cæco, compatiens ægrotis, munificus pauperibus et benignus, jucundus ad omnes, fons sapientiæ et

columna justitiæ, pater Ordinis Cisterciensium et virtutis forma. O pietas Conditoris nostri! o benignitas Jesu Christi, qui talem triumphatorem nobis tribuisti! Venite, charissimi, bibite, et inebriamini. Potus quippe et cibus animæ sunt exempla sancti Patris, quorum nonnulla referimus adjuvante Domino nostro Jesu Christo. Rogo vos, Pater, ut oretis pro me eundem Dominum nostrum, qui est Alpha et Omega, ut inchoator sit et consummator hujus operis.

INCIPIIT EPISTOLA SECUNDA AD HERBERTUM  
TURRITANUM IN SARDINIA ARCHIEPISCOPUM.

Petis a me, miles Christi H. fiducia et charitate qua me diligis, ut de vita vel actibus venerabilis patris beati Bernardi, propter quod ego apud quosdam discipulorum ejus olim assiduus fueram adhuc puer, aliquid tibi per litteras edam : quatenus memoriam suavitatis ejus os tuum frequenter eructet, et scriptura de operibus tantæ sanctitatis expressa, tuos jugiter visus et [2489] auditus oblectet. Ego autem, licet multa et magna viderim in actibus Viri Dei, quæ et memoratu digna sunt, et imitatione dignissima ; ea tamen ex parte non modica potuerunt subripi, et a memoria mea excidere, vel facilitate ipsa lubricæ ætatis effluere, vel puerilis animi teneritudini non hære. De cætero si quid exinde mihi vel stupore miraculi, vel operis dignitate non excidit, quis sum ego, qui inertem stylum laudibus

tanti Patris enucleandis admoveam, et in præconia Viri Dei labiis incircumcisis erumpam? Illis narranda dentur gesta sanctorum, quos non dubites doctos a Domino, quibus dedit Deus linguam eruditam, ut sciant in tempore proferre sermonem. Mihi autem inenarrabiles sunt amici tui, Deus : ita ut tutius elegerim, Virum sanctum non tam prædicare quam colere ; relinquens prudentioribus explicandum quod fecit, contentus ipse vel æmulari quod docuit. Cæterum ne spes tua quam, sicut arbitror, de affectione, magis quam de eruditione mea conceperas, usquequaque fraudetur, accipe breviter de moribus pii Patris quod ipse jam noveras : et dum apponis in ejus narratione scientiam, appone tibi pariter ab ejus actionibus disciplinam. Erat enim vir iste mira simplicitate purissimus, ita cœlestibus intentus oraculis, ut juxta evangelicam fidem, universum mundum æternorum amore contemneret, et nihil hic retinens præter corpoream mansionem, mente et animo in cœlestibus habitaret. Hic est in cujus pectore patientia ædificavit sibi domum, adeo ut omne gaudium existimaret, quoties robur animi sui actus cujuslibet adversitatis impeteret. Humilitas in eo supra humanum modum, tanquam jurasset ejus virtutis perfectione recuperare se cœlum, cujus defectu diabolus lapsus est in infernum. Hunc in omni vita sua nec temperantia, nec fortitudo deseruit ; ne in prosperis per læta

dissolutus efflueret, nec fractus adversitatibus elangueret. Corpus ejus candor castitatis induerat, mentem charitas inextinguibilis inflammabat ; ut esset foris lucidus, intus accensus, et totus desiderabilis. Jesu bone ! quanta illi in obediendo solertia, in imperando modestia, in exhortationibus gravitas, in executionibus disciplina ! Non illi de magisterio typhus, non de reverentia fastus ; sed ita se submittebat omnibus, qui omnibus eminebat, ut illius se probaret esse discipulum, [2490] qui non ut ministraretur, sed ut ministraret advenerat. Blandus, pius, affabilis : non omittens in hilaritate censuram, non admittens in districtione sævitiam. De fide vero ipsius et pia credulitate quid dicam ? Hæc est per quam meruit ut revelarentur ei sæpius arcana cœlestia, et per effectus visibiles divina illi sese proderent sacramenta.

#### INCIPIIT PROLOGUS IN VITA SANCTI BERNARDI.

Qui vitas sanctorum, fratres charissimi, vult scribere, debet se primum de mendaciis et iniquitatibus emendare. Non enim amant sancti mendacia, sed damnant eos qui ea loquuntur. Ipsi enim sunt qui potius asserunt quod scriptum est : *Os quod mentitur, occidit animam* (Sap. I, 11). Offendit is qui vitas sanctorum scribit, sicut et ille qui byssum texit, si et manus habet maculatas ; quia opera eorum coinquinantur. Texere byssum, est vitas sanctorum scribere. Manus maculatas

habere, est vana gloria vel conscientia prava depravari, per quam mendacia confinguntur. Qui mendacium habet in mente, quomodo potest recta loqui de operibus sanctorum? Dico vobis, dilectissimi, quia multum me coarctat hic labor, scilicet vitas sanctorum scribere. Nec immerito: me namque nec propria commendant merita, nec scientia ornat. Malo tamen temeritatis notam subire, quam pudoris inordinati nebula, laudes sanctorum contactas silentio præterire. Contestor igitur divinitatem, quæ omnia novit, quia nihil frivolum, nihilque humanæ laudis, vel avaritiæ causa scribere propono; sed quæ vera, simplex, et sancta confirmat relatio seniorum; quibus credere tam pium est, quam non credere impium. Servis et amicis Dei scribo, quos fallere periculosissimum est, sancti Viri gloria pariter et virtutibus delectatus, quem etiam me tacente præconizant homines, miraculorum ejus magnitudinem vehementer admirantes. Nemo itaque contemnat quæ leguntur: quia licet rationem et possibilitatem humanam excedat magnitudo dicendorum, tamen omnia possible sunt apud Deum, et nihil est impossibile credenti. Verumtamen qui de his hæsitaverit, pie potius ignoscat, quam mendacii me arguat. Nihil est enim in rebus humanis quod non possit aliquo modo infamari, vel sinistra interpretatione perverti. [2491] Ecce in quo humanum iudicium, vel falli, vel fallere nequeat. Quare? Quia et rei



certitudo ambiguitatem removet, et mendacium, sicut ait Seneca, tenue est, et ut vitrum perlucet (Epist. 79). Item dico vobis, fratres, quia minus affligit me hic labor ; sed Dei, ut spero, erit adjutorium, quo bene impleri possit quod inceptum est. Te igitur invoco, Verbum, per quod omnia creata sunt, ut des mihi, sicut decet, de beato Viro dicere quæ vera sunt.

#### INCIPIIT VITA SANCTI BERNARDI.

1. Beatissimus igitur Bernardus, in pago Lingonensi, Fontanis oppido patris sui, digna propagine oriundus fuit ; carnis quidem prosapia nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tescelinus nomine, genitrix vero Aalays, filia Bernardi Montis-Barri domini, viri potentis et magni secundum sæculi dignitatem, et ex antiquorum, sicut asserunt multi, Burgundiæ ducum generositate trahens originem. Sed quia de ejus genere historiam in præsentiarum explicandam non suscepimus, ad id quod potius dicendum est, revertamur. Aalays igitur filiam suam idem Bernardus, avus scilicet beati Bernardi, litteris erudiri voluit, ut in futuro monacham faceret : sed Dei providentia aliud de ea disposuit. Nam cum ad quintum decimum ætatis suæ annum pervenisset, a Tescelino Fontanensis oppidi domino, viro nobilitate et dignitate conspicuo, et in rebus sæculi satis locupletissimo, requisita, est ad conjugium. Pater

vero ejus, quoniam honeste negare non potuit, requisitam concessit.

2. Quæ postquam conjuncta fuit viro suo lege conjugali, dedit ei Deus gratiam, ut de fructu ventris sui poneret super mensam suam, sicut et fecit. Sex namque filios, et unam filiam genuit, non tam viro suo, quam Deo; sicut pius Dominus demonstrare dignatus est in sanctis operibus eorum. De suo namque sanctissimo Spiritu mentes eorum illuminavit. Illi vero degustata spirituali dulcedine, militiam diaboli et pompam sæculi abnegantes, cooperante pia admonitione fratris sui Bernardi (qui erat lux ardens, sed adhuc sub modio, non super candelabrum), ad fortissimam vitam cœnobitarum in eremum venerunt, et monachilem habitum susceperunt. Omnes itaque monachi facti, vitam [2492] Deo placitam simul aggressi sunt, Filia vero monacha facta in monasterio Juilleii. O beatus venter, qui tales portavit! o beata ubera, quæ lactaverunt tales! o beati generis origo, unius uteri gloriosa fecunditas! Vos ergo unanimiter, viri Deo digni, pro cœlesti gloria præsentia contempsistis, et agis elegistis cum Christo æternaliter vivere, quam in hoc mundo infelici feliciter ad tempus vivendo gaudere. Sed hoc de conversatione vestra, quoniam plura dicere stylus historiæ non permittit. Ad nativitatem, a qua dicendi initium sumpsimus, revertentes, cœpta prosequimur in hunc modum.

3. In ordine filiorum primogenitus fuit Guido, homo disciplinatus et a Deo dilectus, sapiens in verbis simul et opere ; secundus, Girardus, vir vitæ venerabilis, honestus moribus, sapientia clarus, consilio providus ; tertius, Bernardus, lux et speculum fratrum suorum, et sanctæ Ecclesiæ columna sublimis ; quartus, Andreas, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo ; quintus, Bartholomæus, qui primævæ indolis florentibus annis senum anticipans vitas, ætatem immaculatam mentis sinceritate decoravit ; sextus, Nivardus, qui terrena hæreditate contempta, cœlestia præelegit. Femina vero beatum Bernardum nascendi ordine subsecuta, in sacro Baptismate Humbelina nomen accepit. Hos omnes Deo, ut dictum est, non sæculo mater generans, singulos mox ut partu ediderat, in illa ipsa angustia et afflictione corporis, et in contritione cordis, de terra propriis manibus elevans sursum, Domino offerebat. O mulier firma in fide, et stabilis in Dei dilectione, perseverans in oratione ! Felix es, felixque uterus tuus, felicioque fructus ventris tui. Alias vero mulieres, quæ ad partum ejus convenerant, sicut mos est, oblationem supradictam facere non permittebat. Scripturas enim noverat, et maxime Davidicum psalmum, ubi canitur : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias* (Psal. L, 19). Beatissimum vero Bernardum non tam cito quam alios, sed in

proveciore ætate Domino obtulit. Obtulit utique, et hoc devotissime fecit : et ut ille erga Dominum devotior existeret, litterarum studiis eum tradidit instruendum. Iis ergo in hunc modum decursis, simul ad utrumque parentem tam gloriosæ sobolis stylum reflectamus. [2493]

4. Fuit in partibus Burgundiæ, ut supra texuimus, vir vitæ laudabilis, Tescelinus nomine, et uxor ejus Aalays. Fueruntque ambo generosi secundum sæculi dignitatem, clariores tamen fide et operatione ; et quanto altiores, tanto humiliores, sicut scriptum est : *Quanto major es, tanto te humilia in omnibus* (Eccli. III, 20.) De fide, spe, charitate, justitia et aliis virtutibus eorum, cuncta narrare difficillimum est. Pauca tamen eruditionis causa ponemus. Cum quodam tempore vir memoratus, diversis emergentibus causis (sicut inter sæculares frequenter contingere solet), cum quodam sibi adversante, multo inferiori genere, et substantiæ minoris, monomachia firmaverat decertare ; adest statuta dies, et præfixa certamini. Convenitur utrimque. Recordatus autem vir venerabilis Tescelinus timoris Dei, et judiciorum divinorum, in quibus dicitur : *Juste judica proximo tuo* (Levit. XIX, 15) ; et item : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (Tob. IV. 16) : quamvis fortior et potentior esset, et hostem superare, et de victoria lucrum maximum reportare valeret ; ultro tamen se pacavit cum adversario, quidquid erat in controversia, sine

disceptatione resignans et relinquens. O magna pietas, magna viri clementia ! Magna sunt quæ narramus, sed majora quæ sequuntur.

5. Venerabilis quoque Aalays uxor ejus consueverat inter cætera virtutum insignia, circuire domos, exquirere pauperes, infirmos, et egenos, eisque de suo proprio erogare quod necessarium erat. Claudorum etiam atque debilium maximam habebat curam ; non servis, non aliis utens ministris ad hæc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, et unicuique quod opus erat præbens, per ecclesiarum xenodochia devotissime discretis infirmis ministrabat ; ollas eorum extergens, cibos porrigens. calices diluens, et alia cuncta faciens, quæ servis et ministris mos est serviliter operari. Quid plura ? Volumus omnes virtutes ejus narrare ? Minime, quia nobis non crederetur. Unum tamen relatu dignissimum proferemus in medium, rem videlicet plenam miraculo, nec sine admiratione a nobis auditam, referente quodam abbate religiosissimo, nomine Roberto, qui magis quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo regularis disciplinæ vixit ; nepos siquidem ejusdem matronæ, de qua volumus pertractare, filius autem [2494] sororis suæ ; ad quem etiam beatus Bernardus primam epistolarum suarum dirigit.

6. « Mater, inquit, sancti Patris nostri religiosissima exstitit. Consuetudo autem ejus erat

per singulos annos in solemnitate sancti Ambrosii [*al.* Ambrosiniani], universos clericos, quos invenire poterat, congregare, eosque in eadem die, ad honorem Dei, et beatæ Mariæ, et memorati sancti, omniumque sanctorum, cibo et potu solemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa sancto suo exhibebat annis singulis, eidem remunerare volens, mortis suæ, quæ in anniversario ejusdem festivitatis die futura erat, illam præsciam fecit, die quadam ante festum : unde ipsam Spiritus prophetiæ participem fuisse non incredibile est. Illa autem viro suo et filiis suis, et omni familiæ suæ, quod sibi revelatum fuerat, indicavit. Cunctique admirantes, et primo non credentes contingere sicut prædixerat, postea magis admirati sunt. Porro vigilia festivitatis imminente, febris artus occupavit. Die autem festo, post celebrationem Missæ, corpus Domini sibi afferri devotissime petiit : quod et factum est. Deinde sacrosanctæ Unctionis munita sacramento, cum accepisset Eucharistiam, universos clericos secundum consuetudinem ad cœnam convocari fecit. Illis autem recumbentibus, filium suum Guidonem primogenitum advocavit ; intimans ei, et sollicitè inculcans, ut statim clericos refectione completa, ante se convenire faceret. Ille autem benignæ matri suæ benignissime obediens, post refectionem clericos in unum convocans, fecit ut mater petierat. Adsunt clerici : quibus congregatis,

in spiritu congratulans ancilla Christi, nuntiat dissolutionem sui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea suppliciter exorantes, litaniam incœperunt : cum quibus ipsa, quousque ultimum exhalaret spiritum, devotissime psallebat. Cum vero chorus psallentium jam pervenisset ad illam litaniae supplicationem, « Per passionem scilicet, et crucem tuam libera eam, Domine, » necdum cessans a supplicatione, in ipso mortis articulo, in manus Domini commendans spiritum suum, elevata manu signans se signaculo sanctæ crucis, in pace reddidit spiritum : procul dubio receptum ab Angelis, collocatum a Deo cum animabus sanctis, expectantem cum [2495] magna felicitate et quiete resurrectionem corporis sui in die generalis resurrectionis, quando iudex et advocatus noster Christus Jesus adveniet iudicaturus vivos et mortuos, et sæculum per ignem. In hunc modum sancta illa anima de templo sancti corporis egressa, manus, sicut erat erecta ad indicandum signum crucis, videntibus et admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. »

7. O feminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe patientissimam, charitate devotam ! o felix mulier et beata, quæ talem honorem erga Deum acquisisti, ut et diem depositionis tuæ prænosceres, et in tuo felici transitu adeo evidenter super te claresceret signum redemptionis nostræ ; signum, inquam, in quo Deus ac Dominus noster pius Jesus, pro

salute humani generis pati dignatus est. Fit itaque de migratione felicis animæ gaudium angelis in cœlo ; econtra dolor et luctus pauperibus Christi, viduis et orphanis, quorum mater erat in sæculo.

8. Fama autem nuntiante circumquaque obitum illius, abbas Sancti-Benigni Divionensis, Gerannus nomine, vir vitæ venerabilis, statim advenit, sacrum corpus petiit, reliquias ejus thesaurum reputans gloriosum. Impetrato ergo quod petierat, tum pro reverentiâ sua, tum filiorum cooperante benevolentia, ipse et qui cum eo erant pietatis affectu lacrymis ubertim fluentibus, corpus sanctum, tanquam thesaurum pretiosum, submissis cervicibus secum reportantes, ad castrum Divionense tandem perveniunt. Et ecce omnis populus exierat obviam eis cum crucibus, et cereis, atque ingenti gaudio et veneratione, sacri corporis glebam usque ad basilicam beatissimi atque præclarissimi martyris Benigni, prosequentibus ibidem universis, cum magna reverentiâ illam sepulturæ dederunt. Post hæc prædictus abbas super sepulturam ipsius sex imagines, in memoriam sex filiorum suorum, fabricari fecit ; sicut usque in hodiernum diem evidenter ostenduntur. Illa vero deinceps per quinque annos apparere consuevit filio suo Andrea, sicut narrat historia domni Guillelmi hominis Dei. Et cum de conversione sua tractare inciperent fratres, apparuit beato Bernardo, dicens : « Fili Bernarde, noli timere, sed



viriliter age, et efficaciter imple quod inchoas, quia opus Dei est. Ex hoc enim beatos vos dicent posterii. Ego vero exspecto vos in gloriam Dei » Quo dicto [2496] disparuit, et beatus Bernardus magis ac magis in Dei servitio proficiebat.

#### INCIPIIT PROLOGUS IN SECUNDO LIBRO.

Pauca de virtutibus beati Bernardi, primi abbatis Claræ-Vallis, pia intentione ad medium deducere volumus, ut per ejus exempla possimus gaudere cum gaudentibus, laudare Deum cum laudantibus. In parte opusculi prima, ingressum nativitatis illius protulimus : hic vero nonnulla miraculorum conferimus, quæ Deus per manus ejus operari dignatus est. Sed quid nobis agendum est ? Possumus omnia comprehendere ? Nequaquam ; quia nobis non crederetur. Perversi sunt filii Adam, sicut fuerunt ab initio. Sed quid inde ? Debemus propter incredulitatem eorum silere ? Non : quin potius nobis pro posse nostro laborandum est in agro Dominico. Ex abundantia cordis os loquitur. Nos autem quod habemus in corde prolatione dignum, prout ad propositum nostrum pertinet, stylo colligabimus.

#### INCIPIIT LIBER SECUNDUS.

1. Bonæ indolis puer Bernardus, jam tamen evoluto, ut a patribus nostris accepimus, viginti duorum annorum spatio, eremum petens, fortissimum monachatus propositum cum sociis a

Deo sibi datis assecutus est apud locum cui nomen Cistercium : ubi tanta erat tunc temporis penuria temporalium, ut vix possent habere vestes ad utendum ordinate qui ibi convenerant. Enimvero ante adventum ejus eo in loco habitare cœperant nonnulli viri religiosi, sed paucissimi, quibus pius Dominus noster a tempore illo et deinceps procul dubio propter servum suum Bernardum, quem ad eos miserat, benedixit, et sanctificavit locum ipsum ; et omnibus inibi commorantibus quidquid necessarium fuit, satis abunde largitus est. Igitur cum esset juvenis sanctissimus in cella Novitiorum, quidam de parentibus suis venerunt ut visitarent eam, et locuti sunt cum eo. Post signum vero horæ nonæ, reversi sunt unusquisque ad sua, et religiosissimus juvenis ad opus Dei in ecclesiam. Tunc secundum consuetudinem elevans oculos ad cœlum, putans se invenire gratiam Dei sicut et prius, non invenit. Excogitavit itaque in se ipso, hoc sibi pro qualicumque delicto seu peccato contigisse, et non comperit [2497] nisi vanas fabulationes, quibus paulo ante per imprudentiam se exposuerat. Qua de causa cum se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta altare, dicens cum propheta : *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc. (Psal. VI, 1) Et cum hoc fecisset per viginti et quinque dies, apparuit ei gloria Domini, et replevit eum, et dedit ei scientiam sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. Sed et alii

venerunt visitare eum, et acceperunt licentiam ab abbate Stephano, ut ad eum loquerentur. Et cum ad eos duceretur, accepit stupas, et misit sub capucio in aures suas ; ita ut hoc artificio ab inani contabulatione se conservare posset immunem : sicque venit ad hospites, et fuit cum eis per totam horam, et nihil audivit ; non locutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsata campana, gaudens, et relinquens eos, venit in ecclesiam, gratia sua sibi taliter a Deo conservata. O virum præcipuæ sanctitatis, et dignum memoria, qui sibi in hunc modum providendo, audientes adhuc ædificat, et ædificabit usque in finem, non sibi solummodo, sed infinitis proficius existens !

2. Post non multum vero temporis abbas Stephanus, honestate morum conspicuus, secundum dispositionem. Dei novellæ illius plantationis pater, de fructu quem sibi Deus dederat, cum multiplici augmento oblationem Deo facere decernens, transmissio conventu, inchoavit abbatiam, Firmitatem dictam. Duas quoque alias in brevi, Pontiniacum scilicet et Vallem-Absinthialem, quæ nunc Clara-Vallis dicitur : cui ordinavit abbatem, juvenem sanctæ conversationis, Bernardum nomine, qui fuit ibidem cum sociis suis, multis diebus degens et orans, in fame, in siti, in jejuniis, in vigiliis, in frigore et nuditate, in laboribus plurimis, in diversis augustiis animæ et corporis ; divinorum

tamen eloquiorum meditationi incessabiliter intentus, de die in diem sensus suos vigilanter emundans, et animam liberans ab omni passibili affectu, impassibilitatis lumine illustrabat. Tantam in primis qui ibi fuerant congregati, passi sunt penuriam, ut cibus eorum esset panis, non de avena (pretiosum namque tale edulium reputarent), sed de mistura qualicunque multo viliori, imo vilissima, utcunque conglobatus potius quam confectus. Folia quoque arborum cocta in æstate pro [2498] pulmentis habebant ; in hieme vero, radices herbarum. O quot labores, quot angustias, quot ægritudines, quantas tribulationes, quantasque anxietates, quam graves infirmitatis et indigentiae passiones in loco prædicto sustinuit Vir beatissimus, et qui cum eo missi fuerant fratres ! Fagina, et cæteri fructus silvestres, et quædam alia, quæ terra sponte procreare solet, fercula illis erant meliora ; cum carnem, et omnem pinguedinem, ova, et caseum, et vinum omnino non gustassent. Indumenta vero eorum, tam in æstate, quam in hieme, cuculla et tunica, quæ rarissime innovabuntur. Caligis quoque utebantur vilibus, et calceamentis frequenter diuque diruptis manentibus et dissutis, antequam repararentur, quæ præ nimia corii paupertate ligabant funiculis, O viri generosi et magni in sæculo ! Quis ad hæc loca arida et periculosa vos adduxit, nisi ille qui dives erat in cœlis, et pauper humilisque in terris in præsepio

recubuit ; cui unumquemque vestrum felix mater vestra cum produxisset in lucem, cum maxima devotione obtulit ? Quis ergo inseruit vobis animum, ut relinqueretis possessiones vestras, villas scilicet et castella, servos et ancillas, cognatos et affines, conjuges et liberos ; nisi ille qui Angelorum et Archangelorum conditor, humanam naturam assumpsit pro salute humani generis ?

3. In illa tanta penuria, de qua supra diximus, inter cæteras necessitates, sal die quadam defuit eis. Et vocavit sanctus Abbas unum de fratribus suis, Guibertum nomine, dixitque ei : « Fili Guiberte, accipe asinum, et vade ad nundinas, et eme nobis salem. » At ille respondit : « Ubi est pretium ? » Ad quem homo Dei : « Crede mihi, fili, quia nescio tempus, quod aurum vel argentum habuerim. Sursum est enim qui habet peram meam, et thesauros meos in manibus suis. » Tunc frater ille quasi subridens ait : « Si vacuus perrexero, vacuus redibo. » Cui ait Sanctus : « Noli timere, fili mi, sed vade securus. Ille enim qui habet thesauros nostros, sicut jam dixi tibi, erit tecum in itinere, et præbebit omnia propter quæ mitto te. » Ad hæc verba, sumpta pii Patris benedictione, perrexit cum asino ad nundinas, ad castrum cui nomen Risnellum, plus quam oportet incredulus. Sed pius et clemens Dominus non respexit suam [2499] incredulitatem, sed consideravit servi sui fidem, et tribuit ei omnem

rem, pro qua missus fuerat. Itaque cum castro appropinquasset, et venisset ad quamdam villam, obvium habuit quemdam presbyterum, qui salutavit eum, dicens : « Unde es, frater ? aut quo pergis ? » At ille respondens, exposuit ei diligenter itineris sui causam, et paupertatem loci, in quo habitabat Pater sanctus cum filiis suis. Quæ cum audisset presbyter, vehementissime compunctus est : et duxit fratrem in domum suam, deditque illi medietatem modii salis, et quinquaginta solidos vel amplius, sicut sæpe narrare consueverat idem Guibertus. Quibus acceptis, cœpit gratias agere Deo immensas, et dicere in animo suo : « Procul dubio verus est sermo quem audivi a Patre meo : sed in hoc peccavi erga eum peccato magno, quia ei non credidi, sed incredulus veni huc. » Et valefaciens presbytero, reversus est ad monasterium : quod cum ingressus fuisset, cucurrit ad Hominem Dei, et retulit ei omnia quæ sibi in via contigerant. Cui dixit Pater sanctus : « Dico tibi, fili, quia nulla res tam necessaria est omni christiano, quam fides. Habe ergo fidem, et bene tibi erit omnibus diebus vitæ tuæ. » A die illa et deinceps, tam frater ille quam alii, verba sancti Patris in majori habuerunt reverentia. O bone Jesu, fidem quam habuit iste Sanctus, quis enarrare potest ? Scio, Domine scio, et in me agnosco, quia hoc facere non possum. Si quis tamen super hoc sollicitus est, eat ad bibliothecam, et legat in Scripturis sanctis :

quarum lectione plurimum dignoscere poterit, quam charitativus fuerit Sanctus iste et timoratus, ut non offenderet erga Salvatorem suum. Ego enim in præsentī historia non suscepi laudes ejus scribere, sed tantummodo quædam miraculorum sive operum mirabilium referre, quæ Dominus per eum mundo palam facere dignatus est.

4. Quidam de Clementini-Prati fratribus adveniēns, visitandi gratia novellam Christi plantationem, honorifice susceptus est, prout fieri potuit: cui, qui in promptu erat, oblatuſ est dimidiuſ panis avenaceuſ. Quo suscepto, et cum magna admiratione, quia de tali viverent, reportato ad Clementinum-Pratum, omnibus inibi habitantibus annuntiavit servorum Christi voluntariam in maxima paupertate abstinentiam, in abstinentia patientiam, in egestate liberalitatem munificam. Statimque vehementer compuncti, et compatientes Clementini-Prati [2500] fratres, in eorum subsidium communiter assenserunt. Tunc magister loci illius. Odo nomine, vir venerabilis, dilectus a Deo et hominibus, oneratis equis et asinis panes et cibaria in quadrigis detulit. Tunc vero a die illo usque in hodiernum diem tanta fuit fraternitatis communiō inter Claram-Vallem et Clementinum-Pratum, quod quando fratres Clementini-Prati Claram-Vallem adveniebant, ita eis deferebatur, sicut uni Claræ-Vallensium in spiritualibus et humanis. Defunctis etiam vicissim

reddebatur obsequium. In hunc modum pius Jesus magis ac magis providebat servis suis.

5. Advenit etiam mulier quædam centum solidos afferens, quibus contacta est pedum eorum nuditas. Cunctis animalibus carebant, excepto asino, quo Abbas ad visitationes suas deferebatur, lignaque ad necessitates comportabantur. Coacti vero fame, frigore, et aliis indigentibus, Abbati suo conquesti sunt, quod pro nimia paupertate discedere cogentur. Quo audito, Abbas blande ac leniter consolans eos, Dei timorem et amorem, spem quoque vitæ æternæ et remunerationis divinæ, quantum potuit, insinuavit. Illi vero maxime angustiati, et angustiati dolore multiplici, nullatenus volebant consentire, sed magis volebant Cistercium reverti. Cumque Vir Dei desperationem illorum vidisset, demum convertit se ad orationem. Quo facto, audivit vocem de cælo dicentem sibi coram omnibus : « Surge, Bernarde, exaudita est oratio tua. » Quod cum audissent fratres, glorificaverunt Deum et sanctum suum Bernardum, dixeruntque ad eum : « Dic nobis, pater, quid petisti a Domino ? » At ille respondit : « Quid vultis scire, modicæ fidei ? State hic, et scietis postea. » Et cum fabularentur ad invicem, modicum temporis indulgentes fabulis, non fabulis, sed sermonibus sanctis, venit quidam, et obtulit sancto Patri decem libras. Nec mora, Barrensis quidam, cujus filius usque ad desperationem vitæ præ nimia



ægritudine cogebatur, attulit ei tredecim libras, suppliciter postulans ut miseretur filii sui. Quem sanctus Abbas hilarem dimisit, pollicens filium suum sospitem ab eo inveniendum. Revertens homo, invenit filium suum sanitati restitutum, sicut promiserat Vir Dei: qua de causa, postmodum servo Dei uberes gratias exsolvit. Modico tempore interjecto, copiose ac benigne Dei misericordia super hos respexit, ut abundantes æternis et [2501] temporalibus subsidiis nihil eis deesset in ulla gratia, secundum illud: Nihil deest timentibus Deum (Psal, XXXIII, 10).

6. Post duodecim annos fames in partibus Burgundiæ exorta est adeo valida, ut homines membra propria pene consumerent. Eadem vero necessitate urgente, maxima multitudo pauperum ad portam Claræ-Vallis devenit. Unde pro tanta multitudine sanctus Abbas et fratres ejus inierunt consilium, et ex consulto duo millia acceperunt sub signaculo, quatenus et aliis eleemosyna daretur, sed minor. Non enim habebant substantiam, unde omnes sustentari possent usque ad messem: quam tamen pius Dominus sic multiplicavit, ut sufficeret eis post messem, trium scilicet mensium spatio. Acceperunt itaque duo pueri signaculum, matre eorum non accipiente. Quæ penitus ignorans quid faceret, cogitavit tandem quasi puerum pannis involutum formare de musco, ut hac arte se ab imminente famis

periculo redimeret : quod et fecit. Accepit itaque aliquandiu hoc modo eleemosynam, donec dolus denique deprehensus est. Qua imminuta, cum non sufficeret sibi quod accipiebat, postmodum tam famis angustia, quam morbo periclitans de medio facta est. Qua defuncta, sanctus Abbas prætergrediens, audivit pueros ejulantes pro morte matris suæ, et unumquemque ex itinerantibus causam planctus inquirere jussit. Pueri vero ordinem rei exposuerunt. Quo audito, Vir beatus locum subiens, in quo corpus jacebat, ad orationem se prostravit. Quo orante, mulier tanquam a somno expergefata, cunctis videntibus et audientibus, qui præsentibus astabant, vitæ reddita est, gratias agens Deo et Sancto suo, cujus meritis et precibus ad vitam redierat, prænuntians etiam quanta tormenta pro culpa sua sustinuisset.

7. Quadam die distribuebatur pauperibus in latere montis eleemosyna, pluvia ingruente : ubi forte Sanctus Dei assistens, manu elevata, signum crucis opposuit. Quo facto, visa est pluvia a dextris et a sinistris inopinatum sui ipsius pati discidium, ita ut nec gutta quidem [2502] tangeret eos. Rursus tempore messis contigit hoc miraculum. Quadam nocte dormiens Vir beatus monachis circumquaque dormientibus, audivit Angelos in ecclesia voce clara et delectabili Deum collaudantes, et beatam virginem Mariam. Quod cum audisset, occulte surrexit, et pedetentim

profectus est ad ecclesiam; ut in proximo constitutus, videret manifestius quidnam esset. Vidit itaque sanctam Dei genitricem in medio duorum Angelorum, quorum unus in manu sua thuribulum aureum, alius incensum tenere videbatur. Horum altero eum deducente, Vir sanctus quasi a dextris gloriosæ Virginis incedens, ad altare usque pervenit: ubi voce angelica audivit decantari antiphonam, «*Salve, Regina,*» ex integro usque ad finem. Quam corde tenus retinens, et postea scripsisse, atque Domino papæ Eugenio transmisisse refertur, ut ex præcepto auctoritatis apostolicæ per ecclesias solemnis haberetur, in honore beatæ et gloriosæ Virginis Dei genitricis Mariæ: quod et factum est, ut adhuc plerique testantur.<sup>12</sup> In dedicatione vero ecclesiæ Vir Deo dignus proposuit filiis suis sermonem valde probabilem in capitulo Claræ-Vallis; ostendens mirabiliter, illo suo modo admirabili, quid dedicationis tam solemne mysterium prætenderet in rerum sacratarum superficie, et in actionibus consecrationis tam devotæ. Quædam præterea verba retulit, quæ in ecclesia de recenti acciderant: «*Nunc, inquam,*

---

<sup>12</sup> Paulo aliter hanc historiam refert Albericus in Chronico ad annum 1130: ubi commemorat, S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum, audivisse ante horologium circa altare ab Angelis antiphonam, «*Salve, Regina,*» dulci modulamine decantari, primoque credidisse fuisse conventum, ac dixisse Abbati die sequenti: «*Optime decantastis Antiphonam de Podio hac nocte circa altare beatæ Virginis.*» Dicebatur autem Antiphona de Podio, eo quod Haimecus episcopus Podiensis eam fecerit.

sancti Angeli solemnizationi vestræ interfuerunt, et vos divinitus in suæ cura custodiæ susceperunt. » Adjungens etiam quædam verba, quibus dabatur intelligi, quod antequam lapidem lapidi in constructione superædificasset, idem locus designatus fuisset. Alio quidem tempore sedens in capitulo Claræ-Vallis, dixit mirabile et valde consolatorium verbum, verbum siquidem amabile, verbum gaudio plenum et consolatione, et valde necessarium. Fortassis namque aliquis erat, quem de recordatione transgressionum, et peccatorum suorum nimietate pœniteret et paveret. « Unde, inquit, desolationem habetis, fratres, et filii mei ? Dico vobis in veritate [2503] Christi, si Judas hic esset qui tradidit Deum, ubi vos estis ; et ipse misericordiam consequeretur. »

8. Burgundiam, adibat, comitem Forensem et comitem Viennæ pacificaturus. Transiens autem per quamdam villam, audivit ab incolis loci illius, duas feras immanissimas, quæ vulgo dicuntur varoli, in nemore proximo desævire. Quod cum audissent socii ejus, rogaverunt eum regredi, quia malebant duabus dietis vel multo amplius divertere, quam se periculose feris objicere : quibus nolens consentire, respondit, se nunquam divertere tali causa. Nec mora ; et ecce feræ progredientes in planum, occurrerunt eis terribili hiatu, quasi ad devorandum. Quas ubi vident fratres, præ timore nimio cuncti mox ad sanctum Virum fugerunt, latitantes circa eum,

clamaveruntque una voce : « Pater sancte, libera nos. » At ille : « Quid timidi estis, modicæ fidei ? » Ad hanc vocem manu elevata, signum crucis feris opposuit : quæ statim factæ sunt tanquam lapides, tanquam nullam penitus habentes nocendi potestatem. Quo signo viso, omnes qui aderant, gratias exsolverunt Viro Dei immensas. Hoc vero audito, vicini valde lætificati sunt : præ timore enim ferarum, egredi non audebant pauciores quam duodecim. Proficiscens inde sanctus Bernardus, venit ad dictos comites. Qui cum pacem ab eis quæsisset, Forensis comes ei humiliter consensit. Comes autem Viennæ improbe refragatus est, dicens, quod nunquam esset cum adversario pacem habiturus, donec eum exulare coegisset : collectoque exercitu terram illius aggressus est. Tunc Forensis comes timore perterritus sanctum Bernardum exoravit, quatenus ab omnipotente Deo victoriam impetraret. Beatus vero Bernardus victoriam ei confidenter promisit. Hac fide confortatus hostes suos invasit, cepitque comitem ; et hostium tantum numerum prostravit, ut vix aliquis vivus evaderet. Hujusque victoriæ gratias reddidit sancto Bernardo.

9. Quadam die sedens Vir sanctus in suo Claræ-Vallis capitulo, fecit magnum et mirabilem sermonem : dixitque inter cætera quoddam [2504] verbum, in quo omnes qui audierunt valde lætati sunt. « Non, inquit, expaveatis, vos qui præcepta

mea tenetis, tormenta gehennæ, nec vos terreat labor quem sustinetis. Dico enim vobis, si perseveraveritis usque in finem, in die iræ Domini reddam animam meam pro animabus vestris.» Quo audito, fratres gratias exsolverunt Deo immensas, qui talem patrem dedit eis. Tunc vero a die illa et deinceps, omnes qui hoc audierunt, firmiter ejus præceptis obtemperaverunt. Et vos, dilectissimi, qui eum non vidistis, scrutari debetis ejus præcepta, et illis diligenter obsequi, ut ejus interventu ad paradisi gaudia pervenire possitis. Vigilate igitur, et orate ne in tormenta veniatis : nam ille qui circuit quærens quem devoret, quærit vos. Scit enim quia per ejus instituta, Deo auxiliante liberati estis de manibus suis. Ait enim apostolus : *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I. Petr. V, 8).

10. Monachus quidam, nomine Christianus, plantavit vineam in vertice montis, qui proximus est Claræ-Vallis. Et venerunt fratres venerabilis Patris Guido scilicet, et Gerardus, et excommunicaverunt eam,<sup>13</sup> dixeruntque ei : « Frater Christiane, ubi est mens tua, et ubi cor tuum ? Quare non considerasti scripturam

---

<sup>13</sup> Et tamen ubi actum est de translatione Claræ-Vallis veteris, Bernardo a Fratribus expositum est, alium locum esse spatiosum « ad vineas, » etc. teste Ernaldo in lib. 2, num. 29, supra col. 2165 : qui auctor item num. 48 tradit, monasterium S. Anastasii ad Aquas-Salvias Cisterciensibus ab Innocentio assignatum « cum agris et vineis. » Quanquam apud Cistercienses tunc rarus vini usus erat. Lege Gaufridum supra, col. 2190, num. 2.

dicentem, quoniam vinum non est monachorum ? » At ille : « Vos fratres spirituales estis, et vinum bibere non vultis ; ego peccator sum, et volo bibere vinum. » Tunc dixit Gerardus : Dico tibi, frater Christiane, non videbis fructum ejus. » Post hæc verba reversi sunt in monasterium. Ille vero vineam suam fodit, et excoluit multis temporibus. Denique mortuus est, et non vidit fructum ejus. Post multum vero temporis, venit custos vineæ ad sanctum Bernardum, et dixit ei : « Pater, vinea nostra anathema est, nec potest facere fructum. » At ille : « Quare, fili ? » Respondit : « Fratres tui excommunicaverunt eam, et deinceps fructum non fecit. » Ait illi : « Affer mihi aquam in pelvi. » At ille obtulit ei. Tunc Vir sanctus fecit signum crucis, et sanctificavit aquam. [2505] « Vade, inquit, fili, et sparge per totam vineam. » Recessit frater, et fecit juxta præceptum Abbatis ; et vinea crevit et multiplicata est, ita ut videntes mirarentur.

11. Dum navigaret aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit ponticulum, cui puer supererat : qui statim in fluvium delapsus est, et necatus. Et excitati accurrerunt vicini, defunctum puerum plangentes : quem sanctus Vir jussit sibi afferri ; eoque defuncto oblato, oravit Sanctus. Puer itaque videntibus cunctis qui aderant, et Deum una voce collaudantibus, ad orationem Sancti statim suscitatus est. Tunc a die illa et

deinceps Hominem Dei, ut patrem filius affectuosissime diligens, postea profectus in Claram-Vallem, ibi Conversus factus est, dictus Tescelinus Nascardus, quia de aqua fuerat sublatu8, et piscatu8 sicut piscis.

12. Cum pertransiret die quadam circa horam sextam Vir venerabilis, finagium de villa, cui nomen Columbeium in fossa, invenit fontem in itinere suo, a pecoribus conculcatum. Cumque ibi consisteret, iussit sibi et discipulis suis panem ministrari in eodem loco. Illi vero quia locus ille inhonestus videbatur, volebant potius in alium locum transire ; dixeruntque ad Hominem Dei : « Non est, inquiunt, pater, hic locus idoneus ad manducandum. Transeamus hinc, donec ad locum veniamus, ubi honestius manducare possimus. Locus enim iste coinquinatus est a pecoribus, et juxta viam quotidie tritam ab itinerantibus. » Vir autem Domini noluit acquiescere sermonibus eorum. In proximo autem erant viri quidam magni nobilitate et opibus, qui obviam occurrerunt ei de villa prædicta, volentes eum ducere in domos suas. Qui nullatenus voluit eis assentire, præcipiens magis ac magis, in prædicto loco escas sibi præparari. Tunc vero unus ex discipulis suis, Hemericus nomine, dixit ad eum : « Quid est hoc, pater, quod vis facere, quia hic locus fetet, et a pecoribus est coinquinatus ? et tu vis in eo manducare ? » Hunc igitur sermonem cum



audisset Vir Dei, ultra sustinere non potuit, sed aperuit os suum, et prophetare cœpit coram omnibus, dicens : « Audite me, fratres, et qui mecum estis omnes. Dico vobis in verbo veritatis, quia veniet tempus, in quo multi hunc locum requirent, ut in eo ab infirmitatibus variis curentur. Sanctus est locus, utpote a Domino sanctificatus : « Hoc cum audissent discipuli, acceperunt panes et cibaria, [2506] comederuntque cum eo et alii multi ; plures namque venerant obviam, ut supra diximus. Tunc Vir Dei elevans manum suam, signo crucis super fontem edito, benedixit eum, et sanctificavit, dicitque ministris : « Haurite, propinate comedentibus. » Ministri autem hauserunt aquam, et impleverunt scyphos ; et versa est in vinum : biberuntque omnes qui aderant, et gratias exsolverunt Deo immensas, dicentes cum gaudio magno, « Vere homo iste sanctus est, vere Spiritus sanctus habitat in eo. »

13. Igitur Vir beatus post cibum, quemdam virum de prædicta villa, nomine Joannem, vocavit, qui dives et abundans erat valde : præcepitque ei ut prædictum locum curaret, et a sorde mundaret, et de lapidibus muniret, ne pecora illum coinquinarent. Adjecit etiam dicens : « Si hoc, inquit, adimplere nolueris, scias te ante obitum talem penuriam pati, quod in morte, ubi revolvi possis, panniculum non habebis. » Illo autem pigritante, imo nolente jussa beati Viri

adimplere, res prout Sanctus ei prædixerat subsecuta est. Nam in morte de tota possessione sua sudarium habere non potuit, juxta verbum Hominis Dei. Quis hæc sine spiritu prophetiæ Virum sanctum prædixisse dubitet? Multa quoque dum adhuc viveret prophetavit, quæ in effectum succedere vidimus longo tempore post gloriosum transitum ejus. Nam de fonte prædicto, sicut prædixerat, multa evenerunt miracula. Nunc etiam, si cujuscumque corporis membrum, quolibet dolore gravatum, ex aquis fontis illius fidei devotione fuerit perfusum, cognitum est a multis, in melius reformari. In potu quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitati prosunt. Nam et si quis febris gravi laborans incommodo, inspirante confessore Christi Bernardo, desiderium habuerit hauriendi, protinus et hauserit convalescit, et ita exstinguitur vis febrium, ceu si videas super immensum rogam projectis undis universa incendia repente exstingui Tertianarum, quartanarum febrium ignibus accensis, ut potatæ fuerint, dolores compescunt.

14. Fuit vir quidam religiosus. Odo nomine, cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacentis incommodi contractione. Is post mortem beati Viri ad eundem fontem perrexit. Cumque eo infirmitatis locum perfudisset, sanus et incolumis rediit. Alius dolore capitis immaniter vexatus, [2507] et

omnino sensu privatus, fonte irrigatus sanatus est. Alius per septennium languerat, qui a parentibus ad sanctum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam, Suynus nomine, longo tempore feбри quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit. Quidam vero maxima infirmitate gravatus, cum gustasset de eadem aqua, vermiculus quidam similis locustæ, per os illius omnibus videntibus egressus est, et statim convaluit Mutus etiam, ut aiunt qui viderunt, ad fontem venit, et loquelam recepit. Hæc et multa alia tam a nobis quam ab aliis visa, quibus non credere impium est, ne forte narrationis prolixitate audientibus fastidium generetur, perstrinxisse sufficiat

15. Igitur apud Barrum super Albam erant duæ feminæ, quas duo dæmones vexabant. Deinde parentes adduxerunt eas ad Hominem Dei in Claram-Vallem, ut ab eo curarentur. Et cum portæ Claræ-Vallis appropinquassent, dixit unus ex diabolis ad alterum diabolum per os mulieris : « Oportet me exire de hac muliere. — Quare, inquit alter dæmon, oportet fieri ? » Qui ait : « Bernardum, inquit, non possum videre, nec vocem ejus audire. » Cui ille : « Quam ob rem ? » Qui ait : « Cum esset Bernardus in sæculo, volui eum tentare, et virginitatem ejus auferre. Et cum hoc facere tentarem, dixit mihi : Vade retro, satana. Adjuro te per Jesum, ne me lædas, nec me unquam videas. Et propter hanc conjurationem,

oportet modo me exire. » Et confestim egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora. Qui vero præsentes erant, laudantes Deum, dicebant : « Vere sanctus est homo ille, et Spiritus sanctus habitat in eo. » Et cum hæc dicerent, venit servus Dei ad portam, et narraverunt ei omnia quæ audierant et viderant de his duobus dæmonibus. Quæ cum audisset Vir Dei, gratias agens Deo, dixit : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia nunquam dereliquisti me. Tu es Deus solus, tu facis mirabilia magna solus. Tu creasti cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te veniat. » Post hanc orationem conversus ad alteram mulierem, dixit ad dæmonem : « O dæmon inimice Dei, exi de femina. » Ad hanc vocem egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora. Tunc omnes qui aderant, benedicentes Deum, gratias [2508] exsolventes sancto Bernardo immensas, dixerunt : « Non est in hoc sæculo, et non fuit post Apostolos, qui posset facere quæ iste facit. »

16. Beatus Bernardus cum esset die quadam in cella sua cum paucis discipulis, et ungeret sandalia sua secundum consuetudinem suam, apparuit ei diabolus in similitudinem monachi nigri, dicens ei : « Abba, quomodo te habes ? Ego de longinquis terris veni ut te viderem, et te calceos ungentem invenio. Non debuisses hoc facere, sed servi et ministri tui. » Cui respondit

Vir Dei : « Ego, inquit, servos non habeo, nec volui unquam habere. Filios habeo, quos genui Christo per evangelium, qui mihi ministrant cum magna charitate et mansuetudine ; et ego illos in veritate diligo, et viam regni cœlorum doceo, humilians me ipsum exemplo summi Magistri, dicentis : *Qui se humiliat exaltabitur* (Luc. XIV, 11). Ipse autem multimoda humilitatis exhibitione, imo summe et præcipue sese humiliando, nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Imitando igitur Dominum meum, vilia et servilia opera pro amore ipsius exsequi non tantum non gravat, sed et plurimum delectat. Vade, et dic abbati tuo ut faciat similiter. » Cui respondit diabolus : « Da mihi sandalia ut ungam. » Et respiciens eum Vir beatus, cognovit Spiritu sancto revelante, quod esset diabolus ; et ait ad eum, cum indignatione insultando illi : « Non est rectum ut ille qui ab initio in summa beatitudine et pulchritudine creatus fuit a Deo, ungat calceamenta mea, cum sim pulvis et cinis. » Et adjecit : « Vade retro, Satana. Adjuro te per Jesum Christum, ne mihi vel filiis meis in aliquo noceas. » Quo dicto, statim transfiguravit se in similitudinem minuti animantis, cunctis videntibus qui aderant : et statim evanuit ab oculis eorum. Hæc narrare nobis solebat domnus abbas Morensis, Girardus nomine, vir sanctus et verax in verbis suis : cujus verbis fidem non adhibere, quasi ipsi veritati repugnare est.

17. Igitur cum esset quadam die Vir beatus in suo Claræ-Vallensi capitulo, facta est conquestio de quodam monacho, qui scutellas in coquina, secundum Ordinis instituta, cum septimanarius esset, lavare negligebat. Ad quem Vir sanctus : « Fili, inquit, adeo negligens [2509] es, ubi majorem deberes habere diligentiam ! » Ad hæc ille confusus, ineptum quiddam et puerile submurmurans, excusandi se gratia, vile et sordidum nimis esse dicebat coquinæ officium. Cui Vir beatus respondit : « Fili, nunquid non audivisti quid super hoc asseveret benedictæ institutionis nostræ promulgator Benedictus ? Dicit etiam Apostolus, quod *unusquisque recipiet secundum suum laborem* (I Cor. III, 8). » Et adjecit Homo Dei, zelo sancto suggerente : « O pessima superbia, peccati initium, radix omnium malorum ! unde tibi permittitur contaminare qualemcunque sacrosancti gregis mei particulam ? Egredere, egredere Deo adjuvante : hic tibi nusquam et nunquam locus. Fuge, refuge ad eum qui tecum et per te de cælo descendit. » His dictis, itidem monachum taliter aggressus est : « O miser homo, imo miserrime hominum, nisi tibi propitiatur Omnipotens ! Ubi est mens tua ? ubi est religio tua ? Vide ne seductor humani generis in superstitionem transformetur. Unde tibi tanta, tamque enormis negligentia ? O quam periculosa, quam abominabilis exaltatio ! Quare non attendis illud evangelicum : *Qui se exaltat, humiliabitur* ; et

ab oppositis, *qui se humiliat, exaltabitur* ? (Luc. XIV, 11.) Fili, audi sermonem meum. Dico tibi in verbo veritatis, testem proponens Deum et conscientiam meam, quod si ex radice veræ [2510] humilitatis hujuscemodi humiliatio procederet, lucrum salubrius atque gloriosius operareris animæ tuæ, scutellas et cochlearia lavando, et cætera quæ ad officium coquinæ pertinent diligenter exsequendo, quam frequenter, prout plerisque contingit, assistendo sive ministrando altari. Labora, fili, labora, et in mansuetudine operare quod tibi secundum Ordinis instituta, et ordinem vicis tuæ injunctum est. Quanto enim vilior erit labor tuus in conspectu filiorum hominum, tanto pretiosior erit in conspectu Angelorum. De cætero, secundum apostolicam traditionem laborare nos ex necessitate condecet. Ait namque Apostolus : *Qui non laborat, non manducet* (II Thess. III, 10) : item idem de eodem : *Laboret unusquisque operando manibus suis quod bonum est* (Ephes. IV, 28). Et quid melius quam servire in commune fratribus suis ? Hoc siquidem faciunt coquinæ hebdomadarii. Esto igitur, fili, esto promptus ad lavandum scutellas, sicut strenuus es ad manducandum quæ tibi in eis apponuntur. Labora, et sic securius manduca. Scriptum est enim : *Labores manuum tuarum quia manducabis ; beatus es, et bene tibi erit* (Psal. CXXVII, 2). » Hujusmodi verbi sancti Patris, et ille in quem facta est invectio de cætero,

correptus, et cæteri qui præsentēs aderant,  
plurimum ædificati fuerunt.

Cætera desunt. [2511]



*PHILOTHEI MONACHI, DE VITA ET  
MORIBUS SANCTI BERNARDI ABBATIS  
CLARÆ-VALLENSIS CARMEN  
ENCOMLASTICON.*

PROLOGUS

Inclyta dum tenui molimur gesta susurro  
Dicere, Mæoniis emodulanda sonis :  
Quid nisi Trinacrios revocare ad littora fluctus  
Nitimur, et modicis imposuisse cadis ?  
Scilicet ipse rudes necdum formare loquelas  
Doctus, et agresti concrepuisse lyra,  
Principis ætherei titulos, qui laudibus omnem  
Excessere modum, sacraque gesta canam ?  
Quis ferat exsili Codrum temerasse camoena  
Acta, Sophocleo condecoranda sono ?  
Non secus ac Phoebos si persequar addere lumen,  
Hinc atque hinc sannæ rhinocerotis erunt.  
Non igitur, Bernarde, tuas mihi promere laudes  
Fas erit, et tremula concinuisse cheli.  
Candida laurigeri referant tibi carmina vates :  
Nos inopes animum corda precesque damus.  
Talia jam positis agitaram mente tabellis,  
Arguerantque animos crimina nostra leves :  
Cum mihi blanda quies victis subrepsit ocellis,  
Et tenuit placidus pectora lassa sopor.  
Tunc Dea, cui tellus, cœlum cui militat omne,  
Virgo mihi tales fundere visa sonos.  
Stulte, tui nobis prohibes quid carminis usum ?  
Quidve sacerdoti munera grata meo ?

Incipe : Bernardi, si nescis, gloria nostra est ;  
Quidquid habet nostro rivus ab amne trahit.  
Hoc mihi Joannes nunquam fuit arctior ille,  
Qui datus est vitæ duxque comesque meæ.  
Ille quidem dulces mecum permansit in annos,  
Virginis intuitu colloquioque fruens :  
Hic autem cœli cum jam data sceptra tenerem,  
Promeruit vultus cernere sæpe meos.  
Ille erat intacti custos mihi corporis unus,  
Hic nostri curam nominis usque gerit.  
Sed quid plura ? animis paribus mihi junctus  
uterque :  
Nec minus ille mihi, nec minus iste placet.  
Vixit uterque parem Veneris sine crimine vitam,  
Virginitas bini pectoris una fuit.  
His Deus æquilocas sublimi in vertice sedes  
Contulit, et lateri jussit adesse meo. [2512]  
Eia age, quosque Pater tribuit mihi laudis honores  
Sumat, et alternas detque feratque vices.  
Aspicias egregia quos condidit arte libellos,  
Quo referant cantu nomen in astra meum ?  
Spiritus illa animis bene profectura malignus  
Scripta tulit, laudes quæ cecinere meas.  
Proque pio Iliadem Danaosque induxit Jesu,  
Abdideratque mei mystica dicta senis.  
Dumque homines nugas miseri sectantur inanes,  
Hæc pene in nullis scripta fuere locis.  
Non tulit hoc summi temerata potentia sceptri,  
Perfidus ut nostras hostis haberet opes.  
Ipsa etenim tacito monui spiramine quemdam,

Qui mihi præcipuo munere vinctus erat :  
 Ut pia dispersos revocaret cura libellos,  
 Scriptaque sidereas quæ docuere vias ;  
 Efficeretque, die caderent ne exesa vetusto,  
 Imprimeret brevibus sculptor ut illa notis.  
 Et quia tam longo fuerat vitiata recessu  
 Littera, judiciis tergeret ante suis.  
 Hæc ego quæ tantos illum tolerare labores,  
 Hæc ego te faciles hortor inire modos.  
 At metuis ne forte rudi perarata cothurno,  
 Livor edax tetrico carmina dente petat,  
 Atque supercilio tua respuat orsa tumentis,  
 Contendatque leves ista decere viros.  
 Nec ferat Aonias monachum revocare sorores,  
 Quas semel invisio jussit abire pede.  
 Euge, supervacuis horum latratibus obstat  
 Perpetuo vates junctus amore mihi,  
 Qui ferrugineis niveos superaddit amictus ;  
 Inclyta Carmeli tegmina montis habens :  
 Qui mea dulcisono celebravit carmine gesta,  
 Stridentesque trucidis Costidis ære rotas.  
 Ille dabit faciles auras, portusque secundos,  
 Hoc duce Scyllæos transgrediare canes.  
 Aspicias ut clara stolidos ratione retundat,  
 Garrulaque opposita clausit ora manu ?  
 Hic mihi de mundi revocatus turbine plaudit,  
 Atque meum dulci concinit ore decus.  
 Fare, age, virtutum cumulis et laudis honore,  
 Quem deceat vati præposuisse meo ? [2513]  
 Nam si grandiloquo liceat conferre Maroni,

Carmina quod paribus cantet uterque modis,  
Hic tamen æternis tantum virtutibus illo  
Clarius est, quantum noctibus alma dies.  
Nam quæ dona meo potui præstare clienti  
Quæ minus illustrem constet habere virum ?  
Quæritur eloquio quantum valet ille nitenti ?  
Talis Aristocles, Mæoniusque fuit.  
Quæritur innocua quantum probitate coruscat ?  
Elias ardenti talis in axe fuit.  
Hic docet angustum virtutis scandere culmen,  
Et celerem vitiis imposuisse modum.  
Nil nisi quod rigidi possint laudare Catones,  
Nil nisi sacro Christus in ore sonat.  
Hic mea dum celebri repetit præconia cantu,  
Mille mihi æterno junxit amore viros.  
Huic ego sideream tanto pro carmine sedem  
Constitui, et regni gaudia summa mei.  
Hunc tamen assiduo Bavus livore fatigat,  
Ingenio æquarit cœlica tecta licet.  
An tibi quem nullo decoravit schemate Christus,  
Defuerint avidi murmura torva canis ?  
Celsior humanos pessundabat ille favores,  
Solaque perpetuæ præmia lucis avet.  
Illius exemplo nugas contemne loquaces,  
Namque magis virtus pressa micare solet.  
Invenies omnes florenti laude verendos  
Invidiæ facibus succubuisse viros.  
Gaude igitur tanto quod te dignamur honore,  
Ut tibi sit noster causa ruboris amor.  
Incipe jam tali ductus stratagemate, quamvis

Vaniloquus nullam donet Apollo lyram.  
Nostra secundabit cursus Cynosura patentes,  
Ut levius cœptum perficiatur iter.  
Nulla tuæ est, fateor, nulla est facundia linguæ,  
Nec Deus eloquium, sed pia corda probat.  
Graminibus pecudes pascuntur, rore cicadæ,  
Quadrupedum tigris sanguine, corde Deus.  
Solve igitur propero tenuem de littore cymbam.  
Deducent cursus flamina nostra tuos.  
Dixit, et æreas fuerat jam lapsa per auras,  
Cœperunt sensus cum vigilare mei.  
Grande opus aggredior, veniam date jussa  
sequenti :

Cogitur invito currere musa pede.  
Quæque levi quondam latitans epigrammate lusit,  
Nunc graviore meat Calliopæa gradu.  
Non tamen acta suo digesta ex ordine dicam,  
Pauca sed e plena margine mira loquar.  
Interea nostro, Pater o venerande, labori.  
Annue, et, o sacri Doctor amoris, ades.

CAPUT PRIMUM. DIVI BENEDICTI PRO  
INSTAURATIONE MONASTICÆ RELIGIONIS AD  
DEUM SUPPLICATIO, ET ACCEPTA A DEO  
PROMISSIO.

Astra decem celeri penetrarant sæcula cursu,  
Bis totidemque pari lustra peracta pede,  
Ex quo lethiferi resecans contagia morbi, [2514]  
Christus ab intacta Virgine natus erat :  
Cum genus omne boni facinus, mortale fugarat,

Foedaque terrigenis gaudia numen erant.  
Undique livor edax, feritas, discordia, lites,  
Pestis, bella, fames, et metus hostis erat.  
Omnibus occiderat Superum reverentia terris,  
Et decus et priscae religionis amor.  
Quin etiam ruptis errabat pauper habenis,  
Sancte, per anfractus grex, Benedicte, tuus.  
Rarus et incertus monachus statione peragrans,  
Non dabat auctori debita vota suo.  
Tunc proprias Benedictus oves miseratus, Olympi  
Dicitur his Regem sollicitasse modis.  
Maxime Rex, parent cœlum cui terra, fretumque,  
Omnia qui nutu dasque regisque tuo :  
Aspicias ut longo probitas male frigeat ævo !  
Aspicias ut toto ferveat orbe scelus !  
Cernis ut adversis agitetur fluctibus omnis  
Relligio, et nullo milite fulta cadat !  
Ille meus quondam teneris bene cultus ab annis  
Quo fugit antiquæ religionis honor ?  
Quemque ego tam lata moriens ditioe reliqui,  
Ordinis, heu ! nostri dic mihi fervor ubi est ?  
Jam mea progenies tandem, nisi protinus illi  
Prospicis e summo culmine, pulsa cadit.  
Surge, age, jamque hominum sortem miseratus  
acerbam,  
Erue de tantis pignora nostra malis.  
Dixit, et ex alto totum qui temperat orbem,  
Accepit tales protinus ore sonos.  
Optime dux, vario cœlum qui milite complex,  
Qui fueras nostræ pars modo prima ratis :

Parce pio, Benedicte, metu, nam morte tuorum  
 Mœnia sunt ducibus restituenda meis.  
 Mœnia quæ tantis agitata furoribus ardent,  
 Mœnia quæ Petri jacta fuere manu.  
 Respice quem teneris puerum mihi mater ab annis  
 Obtulit, et patriam Gallica terra dedit.  
 Spiritus hunc pleno radiatum pectore sanctus  
 Efficiet Mosi relligione parem.  
 Cernis ut ille meis stimulis agitated amoris  
 Jam terat assiduo limina sancta pede !  
 Aspicias ut pulchro rutilet sub pectore virtus !  
 Inspice venturum ut testificatur opus.  
 Niligenas tanto monachorum principe cœtus  
 Restituent septis tempora læta tuis.  
 Angelicis postquam compleverit omnia turmis,  
 Desieritque tuam composuisse domum :  
 Tunc etiam Petri nimium jactata quiescet  
 Hujus ab auspicio tuta carina Viri.  
 Solus sic ingentes monachus tractabit habenas  
 Orbis, et extremo jura sub axe dabit.  
 Quæque vides tumidis consurgere viribus arma,  
 Pax erit illius conciliata fide.  
 Aurea tunc placidis consurget moribus ætas,  
 Et mea terrigenis gratia major erit.  
 Quin etiam extremi bonitas cum tempore sæcli  
 Nulla erit, et toto fugerit orbe fides :  
 Aureus ecce tuo surget de vimine palmes,  
 Siccaque nectareus perfluet ora liquor. [2515]  
 Urbs Patavi illustres præbebit palmitis ortus,  
 Hinc feret auxiliis germina læta meis.

Ipse etiam tanto producet fenore fructus,  
Ut fateare tua non eguisse manu.  
Quare age, tam clari proles ne germinis unquam  
Deficiat, nullo sollicitere metu.  
Hæc ait, et summo Paracletum mittit ab axe,  
Bernardumque suo concremat igne Deus.

CAPUT II. BERNARDUS QUATUOR GERMANIS  
FRATRIBUS IN EADEM SENTENTIAM ADDUCTIS,  
RELIGIONEM INGREDI STATUIT.

Ille Deo plenus, faciem moresque pudicos  
Induit, et mentis improba sensa fugat.  
Jamque puer tenero claudebat pectore numen,  
Et decor egregii maximus oris erat.  
Hunc qui solerti spectabat lumine, dixit :  
Et speciem, et mores virginis iste gerit.  
Candida cui roseo facies suffusa rubore,  
Et gravitas dulcis mista lepore fuit.  
Prima juventa graviolvebat seria sensu,  
Quæ solet in faciles luxuriare jocos.  
Terræ fixa acies, modici sine murmure risus,  
Ista verecundi signa pudoris erant.  
Grata quies animi fuerat, solusque peragrans  
Sæpe dabat querulo talia corde puer.  
Cur, mea mens, brevibus miserisque exercita  
curis,  
Excipis humanas irrequieta faces ?  
Quando erit ut posita variorum mole laborum,  
Discat in auctorem vita redire suum ?  
Si cupio excelsi spectare cacumina cœli,



Deprimis innata conditione caput.  
Hinc pater, hinc genitrix, atque hinc mea cura  
sodales  
Distrahit, et sensus quæque favilla tuos.  
Sed Deus ipse via qua sit mihi monstrat eundum,  
Et reserat sacræ religionis iter.  
Nuper structa humilis latitat sub paupere tecto  
Sancta quidem, sed non ambitiosa domus :  
Cistercique patres habitant ea limina pauci,  
Instituunt leges qui, Benedicte, tuas.  
Hic ego cœlitibus figam mea limina regnis,  
Hæc requies nostri sola laboris erit.  
Si mihi nostra ferant peregrinos arva lapillos,  
Sitque meum toto quidquid in orbe patet ;  
His tamen æternos pudeat conferre triumphos,  
Gaudiaque extremum non habitura diem.  
Quid moror, ah ! demens, vel quid data tempora  
perdo ?  
Plurima commissis addidit una dies.  
Talia flammato librarat pectore dicta,  
Propositique gravem fixerat inde pedem,  
Cum juvenis tenera superatus imagine fratrum,  
Flevit : Et hæc, dixit, præda petenda mihi est.  
Dixit, et in Superum germanos regna ciebat,  
Sic repetens animo gaudia nata suo  
Nuper in adversis errabam naufragus undis,  
Nunc mihi cœlestis meta reperta viæ est.  
Meta reperta mihi est, quæ cœlibis otia vitæ [2516]  
Explicat, et tutum religionis iter.  
Hanc igitur mecum celeri contendite cursu

Arripere, et tanti lucra referre boni.  
Et Deus, et cœli nostri sunt causa laboris,  
Efficient pugnam præmia tanta levem.  
Quis furor est opibus animos servire caducis,  
Quos Deus in Superum regna beata vocat ?  
Cur igitur, fratres, cur vos terrena morantur  
Hospitia ? infesto solvite colla jugo.  
Nec mora, tam facili germanos voce coegit  
Annuere, et proprios deseruisse lares.  
Tunc, modo suppressus, vicina involvere tacta  
Incipit, et lato spargitur ore focus.  
Namque pares sancta socios ut quæreret arte,  
Augeretque suo regna superna grege,  
Conspicuum forma juvenem, decus omne  
suorum,  
Non puduit medio spargere verba foro,  
Et modo cœlestes populis memorare triumphos,  
Et modo Cerberei regna tremenda canis.  
Artifici innumeras gentes sermone trahebat,  
Sola docens summi castra sequenda Ducis.  
Illic condensas glomerabant agmina turbas,  
Quocunque optatos verterat ille pedes.  
Tunc comitum illustris numeroso ex agmine  
cœtus  
Hæsit, et huic firmo fœdere junctus erat :  
In quodcunque velit, pedibusque animisque parati  
Deduxisse bonum relligionis opus.  
Una omnes parili socios fervore voluntas  
Junxerat, immensum compuleratque gregem.  
Omnibus una domus fuerat, cibus omnibus unus,

Vitaque divini plena timoris erat.  
Utque petens sparsam gelidus gladiator arenam  
Apta prius vacuis ictibus arma probat :  
Sic juvenes validis monachorum tela lacerti  
Torquentes vitiis aspera bella movent.  
Sicque prius, sacras posito quam murice vestes  
Induerent, veteres deseruere vias.

CAPUT III. BERNARDUS CUM SOCIIS AMPLIUS  
QUAM TRIGINTA IN CISTERCIENSI CENOBIO  
HABITUM INDUIT, IBIQUE BREVI, SANCTITATE  
MIRE PROFICIT.

Jamque dies votiva aderat, qua sancta renasci  
Debuerant animo pectora juncta pari,  
Cum puer ipse, virum celebri comitante caterva,  
Sidereumque polo jam resonante melos,  
Clauditur in septis, veteremque exutus amictum  
Tegmina jam sanctæ rusticitatis habet.  
Cellula parva novæ capiebat tempora vitæ,  
Cellula judiciis semper amata suis.  
Hic didicit summi penetrare cacumina cœli.  
Hic didicit culto quidquid ab ore fluit.  
Hic didicit curare novo ceromate morbos,  
Solutus et extinctam vivificare fidem.  
Munera tanta quidem modicos bene culta per  
annos  
Donat amatori cella beata suo. [2517]  
Dicite vos avido teritis qui compita passu,  
Qualia clamoso lucra reperta foro ?  
Non ille ingenium vario problemate cœpit

Obruere, aut studiis illaqueare novis.  
Cura prior stimulos Veneris domitare furentes,  
Atque animi motus composuisse fuit.  
Cura prior tristi luerent ut crimina planctu,  
Quam caperent tumidum pectora læta sophos.  
Cura prior Superum nitida caligine pectus  
Induere, et sensus mortificare suos.  
Christus ob id tanto replevit honore Clientem,  
Sæpe ut cœlestes cerneret ille choros.  
Quid referam, quoties summi Regina theatri  
Nectareos illi visa movere sonos ?  
Sæpe suum Virgo famulum venerata, solebat  
Visere, et ambrosias sæpe referre dapes.  
Nunc age, qualis erat meditati in pectore virtus  
Accipe, nam brevibus persequar ipse modis.  
Ante salutarem curvato poplite Christi  
Effigiem lacrymas, vota, precesque dabat,  
Confixasque truci spectabat vulnere plantas,  
Ossaque distinctis dinumeranda notis.  
Jamque gemens tremula fundebat voce querelas,  
Verbaque montanas apta movere feras.  
O decus, o nostri linimen, Christe, doloris !  
O mihi tam duro parta labore salus !  
Felix, si tantas in me convertere poenas,  
Et liceat misero si mihi posse mori.  
Ipse immaturos ausim decerpere fructus :  
Christe, tamen dentes obstupere tui.  
Sidera, terra, fretum, Domini miserescite vestri,  
Flete meos casus, sidera, terra, fretum.  
Talia dum memorat, Domini pendentis imago

Solvit in amplexus brachia mota suos.  
Talis in excelso regnabat Principe virtus,  
Talis in ardenti pectore fervor erat.  
Sic novus interno gaudebat nectare miles,  
Intimaque æternus strinxerat ossa calor :  
Ut mortale nihil saperet, terrenaque semper  
Dediscens, Christi raptus amore foret.  
Noctibus in lacrymas faciles solvebat ocellos,  
Et minimi durus criminis ultor erat.  
Carnibus abstinuit, magnique abdomine piscis,  
Sedabatque sitim simplicis humor aquæ.  
Artibus his summam virtutum venit in arcem,  
Sic peragens lætos prima juvena dies.  
Vixerat hic dulces jam dudum inglorius annos,  
Tempora sed veræ plena quietis erant :  
Cum Deus ipse pio disponens omnia nutu,  
Bernardum ex humili jussit abire loco.  
Nomine Clara quidem, sed clarior omine Vallis,  
Consita vicina sub regione fuit.  
Missus in hanc sacras referens Pater optimus  
artes,  
Condidit imperio claustra regenda suo.  
Perfidus, et scelerum defessus mole suorum  
Huc veniens, posito crimine tutus erat.  
Quique peregrino rutilabat murice quondam,  
Hic didicit cultu pauperiore tegi.  
Nec pudor, hic curvis agitare ligonibus arva,  
[2518]  
Et trahere invitos sub juga panda boves.  
Hic spes vera, fides, probitas, reverentia, cultus,

Et decor antiquæ religionis erat.  
Vestis dura, cibus tenuis, rigidique labores,  
Semper et exhibitis condita claustra feris.  
Vix dabat assiduo defessus vomere fructum,  
Sic locus hic sterilis pauperiorque fuit.  
Quæque solent miseris præstare cubilia frondes,  
Hæc etiam monachis fercula læta dabant.  
Omnis odoratis populus virtutibus ibat,  
Gaudebatque levi subdere colla jugo.  
Nunc ego quæ latitans claustro miracula Sanctus  
Ediderit, populis concelebrata canam.  
Non procul inde virum nimio circumdedit æstu  
Febris, ut extremam crederet ire diem.  
Non ille Æmonio potuit medicamine morbus  
Curari, aut medica convaluisse manu.  
Itur ad excelsi veneratas militis ædes,  
Auxiliumque humili poscitur ore pium.  
Ille ierat, lacrymisque Deum precibusque rogarat,  
Ut celerem moriens sumeret æger opem.  
Protinus ex alto languens resilire cubili  
Cernitur et valido quolibet, ire pede.  
Hinc jam Bernardus toti innotescere mundo  
Cœpit, et ex illa clarior esse die.  
Undique vicinas volitabat fama per urbes,  
Miraturque novæ quisque salutis opus.  
Audiit, et læto properat Germania cursu,  
Quique colunt fines, Bœtica terra, tuos.  
Ille oculis captam matrem, nunc ille parentem  
Advehit, extremo currit ab orbe miser.  
Spirituum tetro vexatus quisque furore

Pergit, et infesto liber ab hoste redit.  
Loripedes etiam plures lectica vehebat,  
Ut pia naturæ dextra novaret opus.  
Ille crucis tantum decorabat pectora signo,  
Sic poterat placita quisque salute frui.  
Æger Apollineas doctique Machaonis artes  
Qui coleret, toto nullus in orbe fuit.  
Tanta inerat facili sermone potentia Sancto,  
Tam celeris sacro venit ab ore salus.

CAPUT IV. BERNARDUS INNOCENTIUM  
PONTIFICEM MAXIMUM ADVERSUS SCHISMA  
PETRI LEONIS EGREGIE TUETUR, EUMQUE SEDI  
APOSTOLICÆ MIRABILITER RESTITUIT.

Interea Latias gladiis stridentibus urbes  
Exagitat stygio missus ab amne furor.  
Romaque tartareis nimium vexata colubris  
Frendet, et insana seditione furit.  
Quodque Panophæi lacerabat templa Tonantis,  
Foedifragum Petri schisma Leonis erat.  
Hic male, dum veterum titulis et laude superbit,  
Pontificis summos pugnat adire gradus.  
Cumque alius, sacro procerum dictante senatu,  
Debuerat sedem, Christe, tenere tuam : [2519]  
Ille tamen diro prosternens omnia ferro,  
Immeritum templi jus dabat omne tui.  
Jamque sacerdotes præstanti laude verendos  
Expulerat, sancta solus in Urbe potens.  
Quique Leonigenas renuerunt sumere partes,  
Proh facinus ! gladio succubuere truci.

Ensibus hic turrido bacchantibus agmine, Christi  
Viscera, Romanæ diripiuntur opes.  
Nec furor hanc belli pestem intra mœnia clausit :  
Gorgoneum toto virus in orbe fuit  
Nam qui legitimas Pastor retinebat habenas.  
Multa dabat meritis templa regenda viris.  
Perfidus at contra temeratis legibus alter  
Templa sacerdotes jussit habere suos.  
Ergo hinc Christicolas volitabant bella per urbes,  
Dum cupit alterno quisque subesse duci.  
Sicque per ambiguas errabat cymba procellas,  
Ut foret incerto jam peritura mari.  
Ipse Pater veræ fidei, pecorisque magister  
Vix poterat propria delituisse domo.  
Quid faciat ? timido repetat si remige portum,  
Certat in adversas ire magister aquas.  
Deserat ipse ratem mediis Palinurus in undis ?  
Hoc prohibet sanctæ religionis amor.  
Sed tandem rabidi defessus marte Leonis  
Cedit, et Etrusco vectus ab amne fugit.  
Sic tamen interea lacrymis affatur obortis,  
Quos dederat profugæ Christus inesse rati.  
O socii adversa felices sorte futuri,  
Dummodo siderei sint rata dicta Ducis.  
Auxilium sancto, nisi sit spes victa, labori,  
Fidite, cœlesti semper ab arce venit.  
Maximus ille pater Gallorum gloria regni,  
Cujus tam toto nomen in orbe micat :  
Ille quidem lapsis poterit succurrere rebus,  
Hæc requies longis sola reperta malis.



Hunc etenim virtute Virum signisque potentem  
 Quis nescit facili volvere regna manu ?  
 Hic ego securo statuum sub sidere puppim,  
 Hic poterit placido tuta latere vado.  
 Nec mora, Thyrræno spumantibus æquore rostris  
 Excepit profugum Gallica terra ducem :  
 Sicque peragrato Gallorum limite summus  
 Candida per silvas Pastor ad antra venit.  
 Occurrunt longo venientibus ordine Patres,  
 Prævia Christiferae signa fuere crucis,  
 Psallentesque pio mulcebant nubila cantu :  
 Talis in abjecto milite pompa fuit.  
 Hos Romanus eques nimium nimiumque beatos,  
 Quos videt in tanta degere pace, vocat.  
 Et modo continuis celebrata silentia claustris,  
 Et modo Parthenii laudat honoris opes.  
 Nil ibi quod rapida cuperet novus advena mente,  
 Nil nisi præcipui candor amoris erat.  
 Panis, poma, nuces, hortensisque herba, legumen,  
 Deliciae adductis ista fuere viris.  
 Maximus interea Christi sua fata Sacerdos  
 Tam longæ causas exposuitque viæ.  
 Tunc Pater ipse sui veritus mandata magistri,  
 [2520]  
 Accepit profugæ vela tuenda ratis.  
 Non ego multiloquo septem tolerata per annos  
 Carmine fata notans singula quæque canam.  
 Nec referam longos quos pertulit ille labores,  
 Dum cuperet laceram composuisse fidem.  
 Summa sequar tantum celebris fastigia facti,

Atque inerit chartis exitus ipse meis.  
Imperium tenuit Romano in culmine summum  
Lotharius tanti tempore discidii.  
Ille Virum merito sanctum celebrabat honore,  
Congaudens lateri semper adesse suo.  
Hunc adiit, rogitatque senex, ut fortibus armis  
Restituat patriæ sacra deosque suæ.  
Annuit, et valido glomeratis agmine turmis,  
Aggreditur sanctæ Rex pietatis iter.  
Hinc precibus meritisque Pater Bernardus opimis,  
Atque hinc Lotharii castra fuere ducis.  
Sic graditur summus Romana ad tecta Sacerdos,  
Hinc atque hinc duplici tutus ab arce sedens.  
Ventum erat ad summi celeberrima templa  
tonantis.  
Vera loquar, facili sed graviora fide.  
Non lituos, non castra duci, non bella movere,  
Non opus ardentem conseruisse manum.  
Unius, o felix, monachi reverentia tantum  
Terruit audaces sæva per arma viros.  
Ipse autem tanti fuerat qui turbinis auctor,  
Audiit hos simili tristis ab ore sonos.  
Petre, tuam subito licuit mihi scindere vitam,  
Et Phlegetontæo præcipitare lacu :  
Tu tamen, ut gemitu veniam merearis acerbo,  
Tres tibi pro grandi munere sume dies.  
Dicta fides sequitur : jam tertius ordine Titan.  
Fulserat, extremum clausit et ille diem.  
Protinus expansis reserantur ovilia valvis,  
Et refovent sparsos lata per arva greges.

Quod fuerat rabidi sancitum lege Leonis,  
Dejicit hoc summa Præsul in Urbe sedens,  
Jam poterant læti tractare negotia cives,  
Et rigidam tandem vertere arator humum.  
Omnibus hic igitur placida sub pace locatis,  
Sanctus in optatos se tulit inde sinus.

CAPUT V. BERNARDUS, ROMANA ECCLESIA  
FELICI PACE DONATA, IN GALLIAM HONORIFICE  
REDIIT : IBIQUE SANCTISSIMAM DOMINO  
ANIMAM REDDIDIT.

Prætereo eximii tacitus miracula Patris.  
Quæ fuerint longæ tempore facta viæ.  
Felices etenim nimium, nimiumque fuere,  
Hospitio illustrem qui tenuere virum :  
Quique sacrum voluit populus retinere parentem,  
Obvius in longas ibat ab urbe vias.  
Gaudia quisque novo gradiens testatur amictu,  
Occurritque pio virque, puerque seni.  
Luctus abit, lætis resonat concentibus æther,  
Festaque depositis artibus hospes agit. [2521]  
Undique purpureos spargunt per compita flores,  
Et redolent sacris thura perusta focis.  
Perque vias pueri ramos stravere virentes,  
Compita subjectis tecta fuere rogis.  
Sic quondam Solymis, inopem quem vexit asellus,  
Excepit reducem grata caterva Deum.  
At postquam optati consedit limine tandem,  
Hospitii, plaudens undique turba ruit.  
Undique turba ruit tanto glomerata tumultu,

Ut nequeat lassum limine ferre pedem.  
Tot quoque difficili languentia corpora morbo  
Obtulerant, facili restituenda manu.  
Ut male vel modici fuerit data copia somni,  
Nec tulerit properas mensa peracta dapes.  
Sicque peragratis Gallorum finibus, Abbas  
Contigit optato claustra beata pede.  
Tunc nemora, et patrii lapidosa cacumina montis  
Aspiceres domino plaudere cuncta suo.  
Utque solet multo non visam tempore matrem  
Expetere, et plaudens basia ferre puer :  
Sic hilares viso monachi pastore resultant ;  
Osculaque alternis dantque. feruntque genis.  
Tunc, modo qui fuerat titulis super æthera vectus,  
Cernere quem magni concupiere duces,  
Ecce virum posito spectares præsole sanctum,  
Sarcula jam manibus corripuisse sacris.  
Et quibus ipse humeris lassus consederat orbis,  
Cernitur in texto vimine ferre lutum.  
Bis centum æthereo plaudebant agmina Regi,  
Quæ bonus ex omni traxerat orbe Pater.  
Hæc fuerant tanto populis celebrata favore,  
Sic coluit sanctum virque, puerque gregem,  
Totus ut ex illo resonans contenderet orbis,  
Sacratum pariter detinuisse ducem.  
Tunc Romana suo decoranda Antistite templa  
Eugenium ex humili subripuere domo.  
Tunc etiam innumeræ diversis partibus urbes  
Inde sibi sacrum constituere caput.  
Talibus acta viris nulla exagitante Charybdi,

Sancta super tenues cymba fluebat aquas.  
Aurea jam posito currebant sæcula fastu,  
Temporaque hæc nullis nigra fuere malis  
Omnia divinas resonabant compita laudes,  
Jam dabat angelicum terra fretumque melos.  
Hæc tamen ante alias longe celeberrima valles,  
Quam coluit magni duxque paterque gregis.  
Jamque decem senos lustris properantibus annos  
Clauserat extremo curva senecta pede,  
Atque senescenti titubantia corpore membra,  
Pondere continui fracta laboris erant  
Nec tamen austeri laxavit frena senectus  
Culminis, aut celeres sistere visa rotas.  
Sed velut in viridi properabat sævius ævo,  
Ut levis ad palmæ præmia currit equus.  
Utque solet cantu modulos iterare canoro,  
Dulcius ad mortis limina ductus olor :  
Sic dedit ille sonos supremo in limite dulces,  
Scriptaque decrepiti mira fuere senis.  
Nam Pater æternos senio confectus amores,  
[2522]  
Exposuitque sacris oscula lata modis.  
Jamque instare videns cœlestis gaudia vitæ,  
Imposuit vili languida membra thoro.  
Grex bonus ingemuit, circumfususque jacenti,  
Talia sollicito murmure dicta dabat.  
Ergone jam miseros, Pater o venerande, nepotes,  
Fert animus medio deseruisse mari !  
Quisnam igitur tristes, vel quis solabitur ægros  
Pastor, et ætherei calcar amoris erit ?

Quis, Pater, attonitos inopesque tuebitur agnos,  
Ne lanient avido viscera dente lupi ?  
Quis poterit miseris nodos aperire latentes  
Legis, et eloquii mystica verba sacri ?  
Quis tunc torpentes animos, et frigida corda,  
Curabitque levi vulnera, nostra manu ?  
Ah nimium properata tuæ cita tempora vitæ  
Ah nimium lethi fata severa tui !  
Quid juvat assiduis defessum vocibus, olim  
Clavigerum nobis consuluisse Patrem,  
Ne quis forte suo populus pro præsule nostrum  
Subriperet sancta calliditate caput :  
Invida si nostros nimium populata labores,  
Audet honoratum tollere Parca ducem ?  
Tu tamen, o facili nutu qui sidera torques,  
Necte iterum vitæ fila resecta tuæ :  
Ut cum fulta tuo fuerit domus ista labore,  
Lætior acceptum cernat abire patrem.  
Motus erat dictis senior, paulumque levatis  
Luminibus, tenui rettulit ista sono ;  
Jam mihi summa quies, jam præmia læta parantur,  
Dulcis adest tandem funeris hora mei.  
Sed vos femineo quid funditis ore querelas ?  
Quid juvat immeritum detinuisse senem ?  
Anne prius toties dixi mea funera vobis,  
Ne subitus nimium læderet ossa dolor ?  
Christus, Olympiaca fuero cum sede locatus,  
Auxilium nostro majus ab ore pluet.  
Nunc meus hic luteo circumdatur aggere sensus,  
Vix habet unde suas contueatur opes.

Vos tantum superi retinentes jussa Parentis,  
 Ite per arreptum religionis iter.  
 Non vos blandus honor, non vos labor improbus  
 unquam,  
 Non revocet toto quidquid in orbe patet.  
 Quid mihi si lituos inter facilesque choreas,  
 Duxissent lætos tempora nostra dies ?  
 Quid mihi præteriti prodessent gaudia fastus,  
 Urgerent stygias si modo ferre faces ?  
 Sed tandem tremulum vocat in sua regna clientem  
 Christus, et hinc celeri me jubet ire pede.  
 Vos igitur, fratres, nati, patresque valetе,  
 Et mea sub memori condite dicta sinu.  
 Talia vix brevibus dederat mandata loquelis,  
 Saucia sollicito corda dolore levans.  
 Cum niveus lacrymas inter gemitusque suorum  
 Spiritus abjecto corpore celsus abit.  
 Ipsa per ærios Virgo nitidissima tractus,  
 Visa est cœlestes ducere læta choros :  
 Purpureamque trahens animam super arce locavit  
 Emyrea, lateri composuitque suo. [2523]

CAPUT VI. SANCTUS BERNARDUS NON  
 TANTUM ANTIQVIS HEROIBUS, SED CHRISTIANIS  
 QUOQUE MARTYRIBUS JURE OPTIMO  
 PRÆPONTUR.

Hactenus excelsi mirabar Cæsaris arma,  
 Cui dedit æthereum Martia Roma decus :  
 Annibalisque trucem Romano in sanguine  
 dextram,

Et Macedum clari gesta superba ducis.  
Mirabar patria pro libertate furentes  
Scipiadas, Decios, Æmiliosque graves.  
Nec minus ingenti decoratum laude fatebar,  
Qui fortem rapido torruit igne manum.  
Cuique dedit clarum generoso ex ordine nomen  
Africa, quo felix consule Roma fuit.  
Et qui sublicium tutatus pectore pontem,  
In Tiberis rapidas desilit actus aquas.  
Quique Quirinalis posito modo consul aratro,  
Arma triumphato victor ab hoste tulit.  
Et qui vectus equo radians fulgentibus armis,  
Se posuit scisso præcipitare foro.  
Quique per adjunctas primævo in Marte catenas,  
Ionias Tyrio sanguine tinxit aquas.  
Illum etiam titulis rebar super æthera vectum,  
Qui tenuit Phrygios obsidione lares,  
Iliacosque inter proceres, qui Marte superbo,  
Inclytus, Æmonio tractus ab axe perit.  
Quique giganteo superavit robore monstra,  
Unde Molorchæi signa leonis habet.  
Hos ego credideram nimium nimiumque beatos,  
Qui tulerant forti nomen in astra manu.  
Hos puer egregio simplex venerabar honore,  
Cum legeret numeros prima juvenia leves.  
Nunc si Bernardo veteris præconia famæ,  
Contulerimque meo fortia facta seni,  
Quæ modo Threicio fuerant celeberrima cantu,  
Visa puellari nunc mihi digna sono :  
Fama vetus taceat, cedant veterumque triumpho,



Christigenam meritis sollicitare virum.  
 His etenim fictæ fuerat virtutis imago,  
 Huic arete<sup>14</sup> pleno pectore vera fuit.  
 Hic Marti et Phoebo gelidis libamina saxis  
 Obtulit, hic vero candida corda Deo.  
 Illi terrificis domuerunt barbara bellis  
 Mœnia, et ingenti tecta superba manu :  
 Hic vada tartarei domuit Phlegetontis, et omnes  
 Spirituum steterant ad data jussa chori.  
 Hi varios celebri subierunt marte labores,  
 Pro patria pulchrum succubuisse rati :  
 Hic tulit assidua gelidos sub morte dolores,  
 Discissam cupiens conciliare fidem.  
 Illis falsus honos et inanis gloria famæ,  
 Solus at huic Christi causa laboris amor.  
 Forte triumphatis illi regionibus, ampla  
 Thesaurus patriæ dona dedere suæ :  
 Hic autem miseros moriens dat habere nepotes  
 [2524]  
 Munera quæ nullo sunt moritura die.  
 Munera, quæ mores instauravere pudicos,  
 Hæc sunt quæ sacra scripserat ille manu  
 Sed quid ego Herculeas Pygmæis carmine vires  
 Assimilo, et Phario flumina parva mari ?  
 Optima mutato repetam præconia cantu,  
 Et, Pater, exemplo te meliore canam.  
 Nam tibi cur vanos ausim conferre Quirites,  
 Qui major quovis martyre sanctus eras ?  
 Grande quidem fuerat ferro flammisque necari,

---

<sup>14</sup> Virtus.

Nec tamen æternam deseruisse fidem.  
Majus opus summo versari in culmine rerum,  
Nec tamen ulla animos ambitione premi.  
Majus opus vitæ rigidum tenuisse cacumen  
Semper, et angustum relligionis iter.  
Bellaque spirituum telis agitata malignis  
Majus opus forti corde tulisse fuit.  
Fulmineos alii mirentur martyris arcus,  
Laurentique avido quos tulit ore rogos.  
Vulnera Chrysogoni jactent, Paulique catenas,  
Euphemiæque truci membra resecta manu.  
Mirenturque graves sanctorum funere pœnas,  
Bella, crucem, gladios, verbera, tela, faces :  
Solus inexhausto mirabor corde labores,  
Quos Pater æterno raptus amore tulit.  
Nam, si Christigenum cædes, tormenta, labores,  
Colligit, et fusi sanguinis omne decus ;  
Cedent cuncta oneri, quod pertulit ille, beato,  
Lapsuram cupiens sustinuisse domum.  
Namque alii lacera senserunt carne dolores,  
Hic autem medio vulnera corde tulit.  
Ergo animus quantum membris generosior ipsis,  
Martyribus tantum celsior ille fuit.

CAPUT VII. PULCHRA COMMENDATIO  
SCRIPTORUM SEU LIBRORUM SANCTI BERNARDI.

Postquam sancta polos, cœlique decemplicis  
orbes  
Transcenditque novem Virgo parensque choros,  
Æthereamque potens sociis spectantibus arcem,

Regna tenet nullo destituenda die :  
Humanis nunquam precibus nostræque saluti  
Defuit, aut luteas spernere visa domos :  
Sed potius summi moderata est Principis iras,  
Spiculaque in nostros ejaculanda lares.  
Auxilium sceleri visa est præstare nefando.  
Sæpius, atque humiles conciliasse reos.  
Illa dedit miseris veniam, totumque per orbem  
Illius ex miti depluit ore favor.  
Innumeros etiam populos vix ægra trahentes  
Ossa fame, immodicas jussit habere dapes.  
Cumque foret Latias pestis male jacta per urbes  
Curavit stygiis ulcera missa vadis.  
Illius optatos toties experta favores  
Testis adest tanti Brixia nostra<sup>15</sup> boni : [2525]  
Brixia, quæ quondam populis lacerata malignis  
Turgebat, medica non adeunda manu ;  
Brixia, quæ capitis medio confecta gerebat  
Ulcera, quæ subitæ causa fuere necis.  
Nunc autem Mariæ precibus adjuta triumphat,  
Et peragit lætis otia grata choris.  
Pulchraque præcipuum Mariæ testantia munus  
Templa locat, Parii marmoris instar opus.  
Hæc et plura parens Christi sanctissima nobis  
Contulit, in miseris officiosa preces.  
Hoc tamen audenti liceat dixisse camœna,  
Atque animi sensus exseruisse mei.  
Humano nunquam generi, nostroque decori  
Parthenice tantum muneris alma dedit,

---

<sup>15</sup> Hinc conjicere licet, Philotheum Brixiensem, aut certe Italum fuisse.

Quantum grata suo nuper cum munere nobis  
Protulit hæc brevibus scripta legenda notis.  
Protulit ipsa quidem, proprio nam Diva clienti  
Jussit, ut egregii quæreret orsa senis.  
Jussit, et ecce novum fuerant quæ sparsa per  
orbem  
Scripta, volens uno margine cuncta leges.  
Scripta triumphales cœli reserantia valvas,  
Scriptaque communi suscipienda manu.  
Omnis namque datis ætas, sexusque libellis  
Perfruitur, Latio si tamen ore sonat.  
Quisquis ades, si forte tuæ tibi cura salutis,  
Hæc fuerint animæ grandia dona tuæ.  
Si cupis optata connubia ducere prole,  
Atque maritali tradere colla iugo :  
Hic potes egregios morum decerpere fructus  
Qui tribuant natis nomina rara tuis.  
Si tamen eloquii tantum tibi cura nitentis,  
Hic fuit eximio non Cicerone minor.  
Quod si forte pio juvat indulgere labori,  
Et populos Christi jussa docere rudes :  
Hic documenta tibi varias spargenda per urbes  
Collige, quæsitus hic meliora dabit.  
Cum voluit placido demulsit pectora sensu,  
Cum voluit rigido terruit ore reos.  
Quod si cœlitibus juvat indulgere tuendis,  
Tutius atque humili delituisse casa :  
Hic tibi præcipuo semper venerandus honore  
Auctor, et æterno dignus amore coli,  
Hunc relegens summo lætus spatiabere cœlo,

Et poteris stygios tristis adire lacus.  
Ante oculos nostri pinget tibi Principis ortus,  
Et pastoralis numina nata domo  
Hinc atque hinc dulci resonat modulamine Jesus,  
Et Maria illustri nomina culta sono.  
Candida tartareo statuisse ex hoste trophæa,  
Anguigerumque docet disseuisse caput.  
Et quibus ille dolis miseros, quibus artibus alter  
Decipiat pascens sancta per arva pecus.  
Qui legit, expleri nequit, ardescitque legendo,  
Et dolet assueti cum venit hora cibi.  
Efficiunt animos aliorum scripta tumentes,  
Et nimium sparsis luxuriare comis.  
Hæc autem mundo Paracletum in pectore  
condent,  
Accendentque novis frigida corda focus.  
Hæc tibi marmoreo lacrymas de pectore dulces  
[2526]  
Elicient, animæ gaudia summa tuæ.  
Denique cuncta novi veterisque volumina sensus  
Solus hic eximia continet arte liber.  
Hæc igitur toto, monachi, contendite cursu  
Arripere et tacito condite dicta sinu :  
Ut vos sidereum faciant conscendere culmen,  
Cœlestesque inter regna tenere choros.  
Vos quoque, Christigenæ, genus immortale,  
clientes,  
Parthenicum medio figite corde senem :  
Ut cœli terræque graves eliminat iras,  
Et reseret clausi limina celsa poli.

NICOLAUS HACQUEVILLE SACRI  
SENATUS PARISIENSIS PRÆSES  
ÆQUISSIMUS, DE LAUDIBUS S.  
BERNARDI, ET SITU CLARÆ-VALLIS.

Abdita vallis erat, mediis in montibus alto  
Et nemore et viridi tunc adoperta rubo  
Hanc Claram-Vallem merito dixere priores,  
Mutarunt nomen, Vallis amara, tuum.  
Quem licet umbrosi circumdent undique montes,  
Nulla tamen toto clarior orbe fuit.  
Hanc Alba irriguus mediam perlabitur amnis,  
Fons tibi perpetuo munere donat aquam.  
Ad quam, dive pater, primum, Bernarde,  
colendam  
Mitteris : illo jam tempore tantus eras.  
Nondum difficilis juveniles liquerat annos  
Mens tamen in tenera carne senilis erat.  
Tunc fuit incultis hæc vallis consita dumis ;  
Tunc ibi non domitæ delituere feræ.  
Illo silvestres produxit tempore fructus :  
Viticolæ nulli, nullus arator erat.  
Nullæ hominum sedes, vetus hæc spelunca  
latronum :  
Nullus in hac poterat carpere tutus iter.  
At postquam Claram-Vallem, Bernarde, petisti,  
Et statuis sedes fratribus ipse tuis :  
Tunc subito, antiquam mutarunt omnia formam,  
Aspera quæ fuerant, fertilia facis.  
Vallis et in medio cellas, Christique dicatam  
Ecclesiam, adductis fratribus ædificas.

Instruis angelicam hos in terris ducere vitam,  
Psallere divinas nocte dieque preces.  
Protinus immensum discurrit fama per orbem,  
Bernardusque pater cuncta per ora volat.  
Undique concurrunt, pueri, juvenesque, senesque,  
Flectere ad imperium colla superba tuum.  
Non illos retinent matres, non mollior ætas,  
Non timet austeras alba senecta vias.  
Non illos remorantur opes, non denique vana  
Quæ venit a claro sanguine nobilitas.  
Ipseque mundanos spernens Henricus honores,  
Cujus erat frater Gallica sceptrâ tenens :  
Qui licet iste foret regali sanguine cretus,  
Se tamen imperio subdidit ille tuo. [2527]  
Omnia regna tuo nutu, Bernarde, regebas :  
Tantum virtuti tunc adhibetur honos.  
Si qua inter magnos fuerat discordia reges,  
Omnia sunt voto conciliata tuo.  
Tunc etiam insani rabies vesana Leonis  
Vexabat rapidis dentibus Ecclesiam.  
Sed tua pestiferas fregit prudentia vires,  
Et finem tantis cladibus imposuit.  
Testis Aquitanas regnans Guillelmus in urbes,  
Dum, Bernarde, tuos concidit ante pedes.  
Tu quoque fraternas acies dispergis in orbem,  
Nullaque terra tuis fratribus absque patet.  
Sive ea purpureos tellus quæ tendit ad ortus,  
Quæque sub occiduo sole relicta jacet,  
Quæcunque aut gelidas terræ flectuntur ad  
Arctos,

Quæve sub australi noscitur esse polo.  
Aut ea quæ extremos nutrit populosa Britannos  
Insula, quæ Oceano cingitur ampla mari,  
Quam longe Europæ tenduntur denique fines,  
Exquirunt fratres omnia regna tuos.  
Omnia non possunt nunc carmina nostra notare :  
Hæc pauca ex multis disseruisse sat est.  
Nam gravis hæc nostras superat provincia vires,  
Vena cui fluitat suavior, ille canat.  
Hæc mihi sufficiat raptim tetigisse canendo ;  
Non facit ad tantum nostra camœna virum.

AD CLARÆ-VALLENSIS.

Post præcepta Patris, præsens dum vita superstes,  
Pergite ; nam tacito jam fugit illa pede.  
Nec vos pœniteat mundi sprevisse ruentis  
Tractandas parvo tempore delicias.  
Tristia quæ modo sunt quæcunque, et amara  
videntur,  
Gaudia post mortem non peritura parant.  
Post lacrymas, gemitus, longa et suspiria vallis,  
In montem excelsum vos trahet ipse Deus.



BAPTISTÆ MANTUANI CARMEN  
ENCOMLASTICUM *in vitam et obitum b. Bernardi  
Claræ-Vallensis cœnobii primi abbatis.*

Ex VIII Fastorum.

Bernardi lux festa venit celeberrima Belgis.  
Belga fuit, sex germanos, unamque sororem  
Traxit ad obsequium Christi. Deus omnibus  
unum  
Inspiravit opus, vitæ genus omnibus unum.  
Mater adhuc prægnans vidit per somnia, crebris  
Se gestare utero catulum latratibus acrem.  
Sic Deus ostendit, venturi qualia partus  
Ora et corda forent contra genus omne malorum.  
Ipse pudicitiam coluit, muliebria passus  
Bella tamen juvenis, roseo quia candidus ore,  
Corda paroxysmis gravibus torquebat, et igne  
[2528]  
Quo Venus accendit teneras incesta medullas.  
Cum peteret Celtas, et nox jam pallida cœlum  
Clauderet, hospitium subiit : temeraria noctu  
Hospita sopito juveni petulanter adhæsit,  
Admovitque latus lateri. Scelus ille repente  
Horruit, et magno sociis clamore vocatis  
Nequitiam facto vicit terrore furentem.  
Ingens forma malum, quo nulla nocentior herba  
Per juga Thessaliæ legitur, per Phasidis arva.  
Tradidit ingenium sacris sermonibus, omne  
Quod docuit Christus, quod prædixere prophetæ,  
Quod didicit Moyses Panchæo in vertice, secum

Assidue meditans, sine præceptoribus ullis  
Scivit, et idcirco silvas habuisse magistras  
Se dicebat ; inops vixit : sed munda volebat  
Vestimenta, situm damnans, sordemque perosus.  
Id curæ quod vulgus habet pro corpore, solam  
Transtulit ad mentem, vitiorum acerrimus hostis.  
Si populis certamen erat, discordia regnis,  
Bernardus pacator erat, legatus ad urbes  
Ibat, et ad reges odium fracturus et iram,  
Munere fungentem tali videre Alemanni.  
Videre Insubres quondam, videre Aquitani.  
Si quando in dubiis nutabant pectora rebus,  
Ipse erat interpretis ducens mortalia corda  
De tenebris ad lumen, uti solet ignea lampas  
Longinqua de turre micans adducere noctu  
Turbine jactatos secunda ad littora nautas.  
Prodigiis, quot vix numero comprehendere fas  
est,  
Claruit, occultas hominum cognoscere curas,  
Pellere avernales genios, curare jacentes  
In languore potens : ideoque impleverat orbem  
Fama Viri, nomenque volans peregrina per ora.  
Sex decies fundasse decem Cistercia tecta,  
Dicitur : unius valuit prudentia tantum.  
Sacra igitur meritis hujus vigesima tanti  
Est aurora patris, qua sese in summa recepit  
Limina supremi quod continet omnia cæli.

*S. BERNARDI EPITAPHIUM, AUCTORE  
ADAMO DE SANCTO-VICTORE.*

Claræ sunt Valles sed claris Vallibus Abbas  
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.  
Clarus avis, clarus meritis, et clarus honore,  
Claruit eloquio, religione magis.  
Mors est clara, cinis clarus, clarumque sepulcrum ;  
Clarior exultat spiritus ante Deum.  
Martyrio Magni celebrato, magnus ad ipsum  
Colligitur Martyr ; par sine morte pari.  
In manuscripto codice Aquicinctensi legitur  
carmen sic inscriptum : « enerabili abbati Claræ-  
Vallensi Bernardo, Anselmus, in laudem Claræ-  
Vallis, » sub hoc initio :

Vallis devexa, quam mons devexus opacat. [2529]

*DESCRIPTIO POSITIONIS SEU  
SITUATIONIS MONASTERII CLARÆ-  
VALLENSIS.*

Si situm Claræ-Vallis nosse desideras, hæc tibi scripta sint pro speculo. Duo montes non longe ab abbazia habent initium, qui primo angustæ vallis interjectione distincti, quo magis ad abbatiam appropiant, majore hiatu fauces dilatant: quorum alter alterum abbatix latus dimidium, alter totum occupat. Alter fecundus vinearum, alter frugum fertilis, jucundum visui, et usui commodum ministerium præbet: dum per devexa latera in altero crescit quod comedatur; quod bibatur, in altero. In summis montium frequens monachis labor est, amœnus quidem et quiete jucundior, ramale vetus colligere, et colligare fasciculos ad comburendum. Squalentes extirpare dumos, et solis aptos ignibus aptare, eruderare sentes, evellere, destruere, disperdere (ut secundum Salomonem dicam) spuria vitulamina (Sap. IV, 3), quæ crescentium arborum vel ligant ramos, vel radices suffodiunt, ne impediatur rigida quercus sublimi salutare sidera vertice, tilia mollis brachia explicare, fissilis et flexilis fraxinus libere se in altum extendere, patulave fagus in latum expandere.

Porro abbatix pars posterior in latam desinit planitiem, cujus partem non modicam murus occupat, qui abbatiam diffuso cingit ambitu. Intra hujus septa multæ et variæ arbores variis fecundæ

fructibus instar nemoris pomarium faciunt : quod infirmorum cellæ contiguum, infirmitates fratrum non mediocri levat solatio, dum spatiosum spatiantibus præbet deambulatorium, æstuantibus quoque suave reclinatorium. Sedet ægrotus cespite in viridi, et cum inclementia canicularis immiti sidere terras excoquit, et siccatur flumina, ipse in securitatem et absconsionem et umbraculum diei ab æstu, fronde sub arborea ferventia temperat astra : et ad doloris sui solatium, naribus suis gramineæ redolent species. Pascit oculos [2530] herbarum et arborum amœna viriditas, et pendentes ante se, atque crescentes immensæ ejus deliciae, ut non immerito dicat : *Sub umbra arboris illius, quam desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cantic. II, 3). Aures suavi modulamine demulcet pictarum concentus avium : et ad unius morbi remedium, divina pietas multa procurat solatia, dum ær nitida ridet serenitate, terra fecunditate spirat, et ipse oculis, auribus, naribus, colorum, canorum, odorum delicias haurit.

Ubi pomarium desinit, incipit hortus intercisis distinctus areolis, vel potius divisus rivulis intercurrentibus. Nam licet aqua dormitans appareat, pigro tamen decurrit elapsu. Pulchrum et hic infirmis fratribus præbetur spectaculum, dum super viridem puri gurgitis marginem sedent, vitrea videre sub unda pisciculos ludere, et natatu obvio militarem repræsentare congressum. Aqua

hæc piscibus alendis, et rigandis oleribus duplici ministerio servit: cui Alba, famosi nominis fluvius, indefesso meatu fomenta ministrat. Hic per multas abbatiaë officinas transitum faciens, ubique pro fideli obsequio post se benedictionem relinquit: qui ad hoc cum multo quidem labore conscendit, non integer, nec tamen otiose pertransit. Ipse quidem mediam vallem flexuosum intersecans per alveum, quem non natura, sed fratrum industria fecit, dimidium sui mittit in abbatiam, quasi ad salutandum fratres, et se, quod totus non venerit, excusandum, quippe qui totius capax canale non invenit. Et si forte amnis ipse inundans impetuoso excursu proruit, objectu muri retroactus subtus quo eum necesse est fluere, in se ipsum recurrit, et refluxum denuo defluus amplexatur. Intromissus vero quantum murus, portarii vice, permisit, primum in molendinum impetum facit, ubi multum sollicitus est, et turbatur erga plurima, tum molarum [2531] mole far comminuendo, tum farinam cribro subtili segregando a furfure.

Hic jam vicina domo caldariam implet, se igni coquendum committit, ut fratribus potum paret, si forte sterilis vindemia cultoris industriaë non bene responderit, et defectu sanguinis uvæ, de filia fuerit festucæ supplendus. Sed nec sic se absolvit. Eum enim ad se fullones invitant, qui sunt molendino confines, rationis jure exigentes, ut sicut in molendino sollicitus est, quo fratres

vescantur, ita apud eos paret, quo et vestiantur. Ille autem non contradicit, nec quidquam eorum negat quæ petuntur : sed graves illos, sive pistillos, sive malleos dicere mavis, vel certe pedes ligneos (nam hoc nomen saltuoso fullonum negotio magis videtur congruere) alternatim elevans atque deponens, gravi labore fullones absolvit : et si joculari quidpiam licet interserere seriis, peccati eorum pœnas absolvit. Deus bone, quanta pauperibus tuis procuras solatia, ne abundantiore tristitia absorbeantur ! quanta pœnitentibus pœnæ alleviamenta dispensas, ne laboris violentia nonnunquam fortassis opprimantur ! Nam quot equorum dorsa frangeret, quot hominum fatigaret brachia labor, a quo nos sine labore annis ille gratus absolvit, etiam cum sine ipso nec indumentum nobis pararetur, nec alimentum ? Ipse vero nobiscum participatur, nec aliud de labore suo, quo laborat sub sole, mercedis exspectat, quam ut, cum omnia diligenter perfecerit, liber permittatur abire. Tot ergo volubiles rotas rotatu rapido circumducens, sic spumeus exit, ut ipse quasi moli, et mollior fieri videatur.

Excipitur dehinc a domo coriaria, ubi conficiendis his quæ ad fratrum calceamenta sunt necessaria, operosam exhibet sedulitatem. Deinde minutatim se, et per membra multa distribuens, singulas officinas officioso discursu perscrutatur, ubique diligenter inquirens quid quo ipsius

ministerio opus habeat ; coquendis, cribrandis, vertendis, terendis, rigandis, lavandis, molendis, molliendis, suum sine contradictione præstans obsequium. Postremo, ne quid ei desit ad ullam gratiam, et ne ipsius quaquaversum imperfecta sint opera, asportans immunditias, omnia post se munda relinquit. Et jam peracto strenue propter quod venerat, rapida celeritate festinat ad fluvium, ut vice Claræ-Vallis agens ei gratias [2532] pro universis beneficiis suis, salutationi ejus resalutatione condigna respondeat : statimque refundens ei aquas quas nobis transfuderat, sic de duobus efficit unum, ut nullum appareat unionis vestigium ; et quem discessu suo tenuem et pigrum fecerat, mistus ei morantem præcipitat.

Sed quia eum loco suo restituimus, redeamus ad rivulos, quos post nos reliquimus, qui derivati a fluvio, passivis per prata vagantur excursibus, ut inebrient terram et infundant eam, et germinare eam faciant : ne cum verna temperie terra prægnans in partum solvitur, renascentia gramina humoris inopia marcescant ; nec opus habeant mendicatis nubium guttulis irrigari, sufficienter cognati fluminis fota beneficio. Hi rivuli, vel potius sulci post peractum officium, fluvio qui eos evomuerat, absorbentur, et jam totus simul Alba collectus, prono decursu per devexa festinat. Sed quia jam eum longius conduximus, et ipse, secundum Salomonem, ad locum suum revertitur (Eccle. I, 7), revertamur et nos unde digressi



sumus, et diffusam prati planitiem succincto sermone transiliamus.

Multum habet locus ille amœnitatis, multum quod mentes fessas allevet, luctusque solvat anxios, multum quod quærentes Dominum ad devotionem accendat, et supernæ dulcedinis ad quam suspiramus admoneat, dum ridens terræ facies multiplici colore, vernanti pictura oculos pascit, et suaveolentem naribus spirat odorem. Sed et dum video florem, dum sentio floris odorem, historias veterum memorant mihi prata dierum. Nam cum odoris delicias haurio, occurrit animo fragrantiam vestimentorum patriarchæ Jacob, suaveolentiæ agri pleni fuisse assimilata. Dumque oculos colore reficio, hanc recordor speciem purpuræ Salomonis fuisse prælatam, qui in omni gloria sua liliorum agri decorem æquiparare non potuit, cum tamen nec ars ipsius sapientiæ, nec potentiæ deesset materia : et sic, dum foris fruor ministerio, non parum latenti delector mysterio. Hoc ergo pratum intercurrentis fluvii fovetur irriguo, et ad humorem ejus mittit radices suas : ideo non timebit cum venerit æstus. In longum autem tanto tractu distenditur, ut cum tonsum vellus gramineum sol in fenum torruerit, bis denis diebus conventum lassare sufficiat. Nec tamen solis monachis labor ille relinquitur : sed cum [2533] monachis tam Conversorum, donatorum, quam conductitorum innumerosa

multitudo desectas colligit herbas, et tonsam raro pectine vertit humum.

Hoc pratum inter se duæ grangiæ dividunt, quibus Alba ad dirimendam litem æquus arbiter et mensor accedit, qui suam cuique partem in funiculo distributionis assignans, se ipsum limitem facit, quem altera ad invadendam alterius partem transire non audeat. Grangias has non Conversorum esse habitacula, sed claustra monachorum crederes, nisi vel juga boum, vel aratra, vel instrumenta alia rusticanis apta laboribus, habitatores suos proderent, et nisi quod in eis libri non explicantur. Nam quantum ad ædificia spectat, ea magno monachorum conventui diceres et situ convenire, et decere venustate, et capacitate sufficere.

In parte prati, quæ est muro contigua, de campo solido factus est lacus liquidus : ubi prius æstuans operarius, fenum falce secabat acuta, ibi frater aquarius sedens mobili per lubricam liquentis campi planitiem equo vectus ligneo, levem ramum pro calcaribus habet, quo cursum urgeat, et pro freno quo flectat. Explicatur rete sub undis quo implicetur pisciculus, et parantur ei escæ quibus libenter vescitur, sed latet hamus in illis quo capitur incautus. Quo exemplo docemur spernere voluptates : quia nocet empta dolore voluptas ; cuius tristes esse exitus nemo nescire permittitur, nisi qui vel non peccavit, vel non bene de peccato pœnituit. Longe autem faciat

Deus a nobis delectationem, secus cujus introitum mors posita est: quæ secundum sapientis descriptionem, « apum par volantum, ubi grata mella « fudit, fugit, et nimis tenaci ferit icta corda morsu.<sup>16</sup> » Laci ambitus per altum ripæ marginem conserti vimineis ligatur radicibus, ne undæ alluenti cedat terra fatiscens. Præterfluenti rivo lacus hic pascitur, qui vix sexies senis pedibus sejunctus, per meatus exiles infundit ei aquas quibus alatur, et ipsas quoque eadem exilitate refundit. Unde et sic in eodem statu permanet, ut nec major sit influentibus, nec effluentibus minor: quia eadem mensurat et recipit, et rejicit eas.

Sed dum per plana cursu feror volatili, dum anhelus in arduis ilia duco, vel purpuream prati superficiem manu ipsius Sapientiæ pictam, vel comata arboribus montium juga describo, [2534] arguit me ingratiitudinis fons ille dulcissimus sæpenumero mihi bibitus, et bene quidem meritis de me, sed a me male remuneratus. Objicit mihi cum exprobratione, quod sæpe extinguendæ siti meæ servierit, quod se meis non solum manibus, sed et pedibus lavandis humiliaverit, quod multa mihi impenderit humanitatis ac benignitatis officia: bono merito, mercede mala me respondisse; se in locorum catalogo locum ultimum, et pene nec ultimum fuisse sortitum, cui tamen pro sui reverentia primus deberetur. Et

---

<sup>16</sup> Boetius.

vere diffiteri nequeo sero me ipsius meminisse, quando ante ipsum alicujus memini. Verum ipse per decursus et discursus subterraneos tacite labens, ita ut nec leni murmure transitus ejus valeat deprehendi, instar aquarum Siloe, quæ cum silentio vadunt, quasi prodi metueret, ubique caput suum cooperit, et sui declinat aspectus. Quidni crederem velle taceri, quem video nonnisi sub tecto velle videri? Hic ergo fons (quod boni fontis esse fertur indicium) ex opposito solis orientis oritur, ita ut æstivo solstitio roseam rutilantis auroræ faciem ex adverso salutet. Tugurio, vel, ut majori reverentia dicam, tabernaculo parvo et pulchro cooperitur et clauditur, ne undecumque sordes admittat. Ubi eum mons evomit, vallis deglutit: et in loco quo oritur, eodem quasi moritur, quin et sepelitur. Sed ne expectes signum Jonæ prophetæ, ut tribus diebus et tribus noctibus delitescat absconditus: statim ad mille passus intra claustrum monasterii, quasi de corde terræ resuscitatus progreditur, et quodammodo redivivus apparet, visui tantum et usui fratrum se offerens, ne cum aliis quam cum sanctis sors illius amodo sit futura.